Sammelband!

ÖNB
+Z59441505

306.828-B.[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

PHARMACOPÆA COELESTIS
SEU
MARIA
REMETENSIS,
In Sclavoniæ Regno
SUB CURA FF. ORDINIS
SANCTI PAULI PRIMI EREMITÆ,
Fama & Miraculis
CLARA

Omnibus infirmis, Surdis, Cæcis, Claudis, pauperibus præcipue, Medicinam quærentibus, gratuito impertiens.

SUB HOC SYMBOLO
Venite, qui non habetis argentum, properate, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione. *Iſaia 55.*

ORBI DIVULGATA.

Per
R. P. F. ANDREAM EGGERER,
Ordinis præfati Præsbyterum p. t. Reſidentiæ
Vlimienſis in Styria Priorem.

Anno Milleſimo Sexcenteſimo Septuageſimo Secundo.

Digitized by Google

G[illegible]CII, Apud Hæredes Ferdinandi Widmanſtadij.

REſpexit Maria in Oratio-nem humilium, & non ſprevit preces eorum. SCRIBANTUR HÆC IN GENERATIONE ALTERA, & populus, qui creabitur laudabit Dominum; Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Domina de cœlo in terram aſpexit, ut audiret gemitus, &c.

WIEN

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO,

DOMINO, FRATRI

MARTINO BORKOVICH,

Almæ Eccleſiæ Zagrabienſis Epiſcopo, Abbati B. M. V. de Topuzka, Sac. Cæſareæ Regiæq; Majeſtatis Conſiliario, &c.

DOMINO, AC MECAENATI GRATIOSISSIMO.

Q*uotquot folÿs, totidem quaſi linguis, tuum inclamat Patrocinium Libellus præſens*, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Præſul. *Quidquid Magnalium Maria patravit Remeta, mirabilium in Tall, terribilium in Claro-Monte Czeſtochovia, dignum fuiſſet Tuo ſub Nomine prodire in typum, ſed quia de poſtremis, alÿ ante me ſcripſerunt, aliunde etiam jam orbi mediante peregrinorum confluxu innotuerunt, placuit ſolius Remetenſis, ſeu Eremitanæ Virginis, utpote Congentilis Tuæ, quam etiamnum magnis amoribus proſequeris, Originem, & Res, cum ſtupore Orbis Sclavonici geſtas, in compendium redigere, Tuisque ſub auſpicÿs (qui Patronus es & ſumptus liberaliter præſtas) divulgare in lucem, neq; Te liberalitatis hujus pœnitebit unquam, quidquid enim teſte*

Bernar-

Digitized by Google

Bernardo Mariæ offertur, in offerentis redundat utilitatem; Et cur in illam munificentiæ Tuæ palmas explicare nolis? quæ Ordinem Tuum, cujus Supremum Moderatorem tot annis egiſti, non in Spiritualibus tantum, ſed & temporalibus egregie adjuvit; ut tot literarum teſtantur fragmenta, multa Nobis à piis Fundatoribus, aliisq́ue, imò ferè omnia, intuitu ſolius Deiparæ collata beneficia, villas, & latifundia, templa, & Monaſteria. Et ſicut olim Palma, victum, & amictum Glorioſiſſimo Patri Noſtro Paulo *ſubminiſtravit, ita Maria, quæ & ipſa* Palma exaltata in Cades *dicitur, temporalis vitæ alimoniam, aliaq́ue, quæ corpus reſpiciunt, non parce Nobis ſuppedditat. Hinc fortaſſis in grati animi in ſignificationem, Palmam hanc Marianam, geſtas in ſigillo Tibi conſueto, palam quaſi orbi conteſtando, tanta Te debere eidem, ut quotquot Epiſtolis, Sigillum hoc palmiferum apprimendum ſit, totidem quaſi Faſſionales debitorum edere videaris. Omnino debitor es Mariæ* Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Præſul, *nam in feſto ſacratiſſimo Præſentationis ſuæ, præſentatæ Tibi ſunt ab Auguſtiſſimo Cæſare* LEOPOLDO *literæ, quibus Te in Epiſcopum Zagrabienſem felici omine, licet invitum, nominari intellexiſti; has literas à* Præſentata *Virgine* præſentatas *necdum ſolviſti, & idcirco Libellum præſentem, ære Tuo publicandum aſſumis; ſatis eſt, ne dubita, viciſſim Nomen Tuum ab eadem Virgine ſcribendum in libro Vitæ. Quod Tibi ex animo vovet is ipſus, quem in cunis Sacræ Religionis, olim lactaſti ut parvulum, educaſti ut filium, ad virtutem nonnunquam exhortatus es ut Religioſum, nimirum*

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ
Dominationis Tuæ.

Obligatorum maximus, Officioſorum minimus.

FR. ANDREAS EGGERER.

Digitized by Google

PHARMACOPÆA COELESTIS

PRÆAMBULUM PRIMUM.

Origo Sacræ Statuæ Remetenſis ſeu Eremitanæ.

BRevibus Lectorem doceo; Statua hæc Sacra, Natales ſuos facile à 400. & ampliùs annis commemorat, ab anno videlicet 1240. eadem illi ferè ætas cum ſuo Cænobio; quamvis oratorium eo tempore tantum fuiſſe conſtet. Devotus & ſimplex Eremita Frater Iſquirinus nomine, à Beato Stephano altero Ordinis noſtri poſt B. Euſebium Moderatore, eo cum obedientia miſſus, locum illum deſertum non difficulter à venerabili Capitulo Zagrabienſi impetravit, quem & ſucceſſu temporis, fundis quibuſdam liberalitate dicti Capituli, poſtea verò ampliùs munificentia Regum Hungariæ, poſſeſſionibus pro paupertate, & numero exili Religioſorum locupletavit. Credibile Virum hunc pium, & Zeloſum, Imaginis hujus Sacræ fuiſſe Auctorem, illi quotidie genua ſubmiſiſſe, fortunas ſuas & vota omnia in ſpem futurorum conſecraſſe, unde jam eo tempore plures gratiarum radij è latebris illis Eremiticis in ſolatium miſerorum, ab ea, quæ pulchra ut luna, electa ut ſol quaquà verſum emicuerunt. Inter quos infantem ferunt Reguli aut Dynaſtæ cujuſdam, qui arci & dominio Medued, Monaſterio confini, tunc imperabat, filiolum. Hic etenim innocentulus in odium nutricis, quam aulicorum non nemo ad flagitium ſæpè ſæpiùs, ſed fruſtra ſollicitaverat, medio recentis pruni violenter faucibus ingeſti, præfocatus, cum poſtridie à fæmina jam exanimis ad Eccleſiam noſtram delatus, triduumque ante aram Sacræ Statuæ expoſitus fuiſſet, tandem

A (Ah

Digitized by Google

(Ah quæ Virginis ergà afflictos ineffabilis eſt miſeratio) puer ſubito redivivus, à Nutrice, irato ſibi & mortem antea minitanti hero reſtituitur, erumpentibus utriſq; præ miraculi novitate, copioſis oculorum pluvijs: quo factum, ut hominis illius, velut alteriùs Oreſtis inſano in pectore æſtuantes furiæ uno quaſi momento reſtinctæ ſint. Patres noſtri hæc narraverunt nobis, præq; cæteris in authoritatem venit Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Fr: Martinus Borkovich Zagrabienſium Præſul, Ordinis Noſtri Generalis olim ter electus, bis emeritiſſimus; Ejus item in Sacra eadem ſede Anteceſſor, beatæ mem: Petrus Petretich, nec non alii, quamplures, quibus fidem abrogare nemo præſumit, niſi qui ſupra ſenes ſe intelligere exiſtimat.

Accedit & illud admiratione digniſſimum, ijſdem Auctoribus, & conſtanti Seniorum Patru m aſſeveratione firmatum, olim quoties contigiſſet fratrem è dicto cænobio ex hac luce in aliam, ſed ſempiternam commigrare, inſtante jam fato campanulam ad parietem Sacræ Statuæ ſuffixam, ſe ipſa, ſine ullius opera, ſonum longiuſculum edidiſſe, velut convocatura fratres in auxilium infirmi, toto agone cum æternitate decretantis. O miram dignationem Virginis, quæ pauperculos, ſibique devotos non averſatur Religioſos; Veram hanc Matrem dixerimus, filios ſuos in extrema neceſſitate haud deſerentem; nimirùm non vana ſunt, quæ ipſamet apud Ludovicum Bloſium promittit. *Ego omnibus qui mihi pie deſerviunt, volo in morte fideliſſime tanquam Mater adeſſe, eoſq; protegere & conſolari.*

Nunquid plura deſideras mi Lector? en dabo, nam hoc quod dico, plures alij jam pridem, & adhuc hodie non pauci oculari experientia & viderunt, & vident, quorum ego quoque authoritate licet minimùs idipſum conteſtari poſſum, nocturno tempore, & tempeſtatibus proceloſo, ferè ſemper ſupra ipſiſſimum Divæ Sacellum, à Generoſo D. Joanne Ruchich Vice-Comite Zagrabienſi & Mecænate noſtro extructum, clarum ſatis in aëre apparere ſplendorem, quem ignotis utpotè cauſis naturalibus ſoli Omnipotentiæ Divinæ Sanctitatem loci, fors eo argumento indicare volenti, merito adſcribimus. Sunt exterorum nonnulli, qui quod gloriam hanc, non tam Deiparæ, quam loco huic invideant, ignem ajunt eſſe fatuum, belli ſcilicet Philoſophi, quis quæſo ignem hunc ita loco illi ſacro acclavavit, ut qui natura vagus eſt, alio tamen migrare non poſſit; verè exiſtimo cerebrum horum hominum nimium ab hoc igne infatuatum eſſe. Sunt qui à corruſcationibus lucem ibi congregari ſomniant; nihil minùs: lux enim cum à cor-

Digitized by Google

pore luminoſo dependeat, fieri non poteſt, ut hoc ablato, illa perduret; & tamen igne inter nubes etiam non corruſcante, adhuc lucem illam advertimus continuari. Quidquid ſit miraculum hic pro certo non adſtruimus, lucem tamen inter tenebras ſæpè aſpeximus, cauſas illius naturales ignoramus.

Porro quantum ad loci illius ſacri celebritatem attinet, non eſt in Regno univerſo, qui eidem & antiquitate, & prodigiorum magnitudine conferri poſſe videatur. Sane ſi ea, uti alibi, ita hic hominum eſſet opulentia, non multo minor foret Remeta, pluribus, ijsque per Orbem decantatis Thaumaturgæ Virginis domicilijs: quamvis ſi devotionem populi ſpectes, nihil omninò deſiderari queat: ſunt enim homines Regionis iſtius proniori in Virginem affectu, ac alij adjacentium provinciarum, fide etiam exteris plerisque prægnantiores: erga Religioſos, & Eccleſiaſtici ſtatus viros obſervantiæ tantæ, ut his, per campos tranſeuntibus, ſimpliciores è plebe ſubnixo poplite non ſecùs, ac divis ipſis venerationem exhibeant. Traditionum præterea, legumque Eccleſiaſticarum jejunij potiſſimum quadrageſimalis, cujus ſolius Catholicorum plurimi, alijs in locis contemptores ſunt, adeò tenaces, ut apud rudiores, agreſtes precipuè veſpertinis horis, etſi vires labore diurno attriverint, coctum admittere, piaculum cenſeatur. Quo factum ut inundante univerſali illo hæreſeos cataclyſmo, ſola inter occidentis, & ſeptemtrionis Regna Sclavonia, Croatiaque ſteterit immunis. Et Joannes Tomcus quidem de Eccleſia Zagrabienſi ſic habet; *Cum reliquæ omnes Hungarici Regni Eccleſiæ, vel Turcicum jugum ſubierint, vel Hæretica labe deformatæ fuerint, ex Cathedralibus, unica in toto Regno, noſtra, Sanctiſſimo Apoſtolico Regi dicata, & à fœditate Turcicâ, & à labe Hæreticâ prorſus immunis, Apoſtolico Throno pura adhæſit perpetuo; tumq; Apoſtolicis Regibus Hungaricis reliquæ omnes, diverſis Regni revolutionibus debitam ſubtrahunt reverentiam, hæc una Apoſtolico Rege, ſuis ſucceſſoribus firmiſſimam arcem Eccleſia Zagrabienſis tuente, adulterinis nunquam adhæſit amplexibus.* Ita Tomcus. Hinc etiam eſt, quod Benedictus Vinkovich tunc Capituli Zagrabienſis Præpoſitus, dein Præſul meritiſſimus, in Centumvirali Procerum Hungarorum Conventu Sopronij, in Coronationem Auguſtiſſimi Ferdinandi tertij coacto, hæreticæ obſtiturus pravitati, quo minùs in terras has irrumperet, iteratis proteſtationibus quaſi murum pro domo Dei ſe oppoſuerit, quo factum, ut idcirco à nefarijs Hæreticis, crine, barbaque mutilatus, nefandam ſacrato viro tulerit contumeliam. Conabatur etiam jam retroactis annis exitialis illa Hæreſum lues, ſuis non contenta anguſtijs, puritatem Ro-

manæ Fidei in Croatiæ ac Sclavoniæ partibus contaminare, quo circa cum de introducendis ea in Regna, damnatorum dogmatum ſeminatoribus, publicis in Comitijs ageretur, Illuſtriſſimus Heros Thomas Erdeödius Regnorum Illyrij tum Prorex, uti familia omnino orthodoxa natus, ſic zelo fidei ſuccenſus, evaginatum vibrans gladium, eò ſe peſtem illam è terris curæ ſuæ concreditis eliminaturum, vel uno è tribus fluvijs Colapi, Savo, aut Dravo eandem ſe demerſurum jurejurando aſſeruit; Attonitis hoc fervore Hæreticis, & iniquis poſtulatis impoſterum ſuperſedentibus. Egerat eo tempore Præſulem Eccleſiæ Zagrabienſis, Frater Simon Bratulich, Ordinis etiam Noſtri olim Generalis, ad quem etiamnum extant literæ Clementis Octavi, quibus eum obſtrenuè navatam contra hæreticos operam, inſigniter dilaudat, ſimulque animat ne unquam in diverſum abreptus, eoſdem intra Regni fines vivere patiatur. Quod & fecit, ac hodiedùm Legati Sclavoniæ Croatiæ, Dalmatiæque publicis Hungariæ Comitijs, ne quid à Regnicolis in præjudicium fidei Catholicæ ſtatuatur, ante omnia ſolenniter proteſtantur. Et ita fides Apoſtolica, in hiſce Regnis, ab eo tempore quo, primitus ſuſcepta eſt, inconcuſſa ſtetit, uti etiam patet ex literis Leopoldi I. Cæſaris Glorioſiſſimi ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum F. MARTINUM BORKOVICH Eccleſiæ Zagrabienſis Præſulem, initio ſtatim factæ per Petrum Zrinium rebellionis, nomine totius Regni proteſtantem, datis, in quibus Regnicolas à fide avita, ſemper inviolabiliter retenta, & fidelitate inconcuſſa erga Reges ſuos, Cæſareo ſuo calamo ampliſſime dilaudat; & eſto à quibuſdam rebellionis virus ſeminari nuper cæperit, mox tamen in herba necdum fere natum, jam extinctum vidimus, & regnum univerſum ab ea culpa innoxium, ab ipſo, ut dixi Cæſare pronunciatum.

Parce mi Lector, quod de celebritate Remetenſis ſtatuæ locuturum, populi Religio me à tramite inſtituti ſermonis tantiſper avocaverit, nunc redeo, & quia paulò ſupra inſinuaveram in toto hoc Regno nullum cum Sacratiſſimo hoc Virginis domicilio prodigiorum Cæleſtium multitudine, magnitudineque conferri poſſe, idcircò riſiſti, & forte me vulpem, quæ propriam ut dici ſolet caudam dilaudat, animo deſignaſti, exhibens libellum paucis ab hinc annis, vernaculâ excuſum, qui de miraculoſis imaginibus, & compluribus per hoc regnum locis ſacris, ita agit, ut reliquis pro ſua dignitate dilaudatis, Remetenſis ſtatuæ venerandam antiquitatem tribus, aut quatuor ſaltem verbis abſolvat. Ego Auctorem non judico, fortaſſis enim, quemadmodum bono vino nullam hederam, ita loco per ſe miraculorum gloria illu-

illuſtri, ulteriorem laudem minùs neceſſariam duxit. Si tamen dicti mei alieno putas opus patrocinio, en aperio Tomum. 2. mundi Mariani diſert. 6. n. 39. Auctore R. P. Laurentio Chryſogono Societatis Jesu, in quo, hæc leguntur. *Certe ait in hoc Croatiæ Regno olim potentiſſimo, nunc verò nimium quantum Turcarum potentia acciſo, atq; oppreſſo, plura viſuntur honori Virginis dedicata Templa, inter quæ præ cæteris* (nota quæſo) *gloria miraculorum coruſcat illud R. R. P. P. Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitæ, quod Sancta Mariæ de Eremo prope Zagrabiam vulgò appellatur, in quo Virgo, eâ quâ divinitùs pollet vi, ac virtute quot annis non pauca edit miracula ad afflictiſſimi hujus Regni conſolationem. Anno 1646. mihi certe videre licuit Adoleſcentem, qui luminibus cum planè captus eſſet, & ſemel atq; iterum ad Sanctiſſimam hanc illuminatricem, tanquam ad fontem lucis à pia quadam matrona eſſet deductus, ejusq; ante oculos luce miſericordiæ pleniſſimos præſentatus lumen aſpexit, hodieq; ſcholas noſtras, literis navans operam, frequentat.* Enumerat deinde circa ſe, & alios patrata miſericordiæ Marianæ portenta, reſuſcitationes mortuorum, curationes varias: tandem ex Baptiſta Mantuano in honorem ſacræ hujus ſtatuæ ſic concludit.

Ipſa eſt adverſis commune in rebus aſſyllum
Ante preces etiam, nec dum obſecrata favorem
Donat, & ad miſeros maternas explicat ulnas.

Porro ipſe locus ſacer, qualem Virgini ſuæ teneatur gratitudinem, ex eo collige, quæ in Annalibus noſtris *lib. 2. cap. 34.* poſteritati legenda dedimus. Contigit ut Anno ſalutis incarnatæ 1515. ipſis Aſſumptionis ejus ſolennibus, Matthias quidam Caſtellanus arcis Medued, homo præceps, armata manu cum pluribus Cænobium Remetenſe ingreſſus, Colonum loci (quo motivo neſcitur) exploſo tubo ferreo interfecerit. Accurrentibus ad ſonitum Religioſis, & locum ſacrum humano ſanguine temeratum exprobrantibus, in bilem concitatior, Caſtellanus, per omnia ſacra & profana juravit, ſe intra quindecim dies Monaſterium cum habitatoribus everſurum, quo non vano metu perculſi fratres, fore, ut juramentum homo projectæ audaciæ effectuatum veniret, Deo ejusque Sanctiſſimæ Parenti, in ſtatua miraculoſa ſupplices, benigne exauditi ſunt; una enim ante diem decimamquintam, qua omnia ad everſionem loci parabantur; Caſtellanus à famulo arcis illius, cultro interfectus, ante perpetratam actu culpam, pœnam temporalem, & utinam non etiam æternam luit. Nunc ſatis de Origine, alio properandum eſt;

Digitized by Google

PRÆAMBULUM SECUNDUM.

Explicatur cur vocetur Maria Remetenſis; Et ſimul oſtenditur, quàm libenter Eremum incolat.

HUngaricum hoc vocabulum eſt Remete, quod Eremum latinè ſignificat, ita ut Maria Remetenſis idem ſit, aç Maria Eremitana: & rectè denominationem à loco ſolitario arboribus conſito, intra incultum duorum collium ſinum ſortita eſt. Amat Maria Eremum: ſi enim *Rubus* Eremiticæ ſterilitatis germen eſt, Maria *Rubus* eſt, & quidem ille tanto amore in Deum *ardens*, incombuſtus tamen omniſque læſionis peccati expers. Si *Virga* ſylveſtrium arbuſtorum eſt ſoboles, Maria Thaumaturga illa *Virga* eſt, tot ſerpentium, quod Hæreſum devoratrix. Si *Columba* Plinio teſte adeò vehementi ſolitudinis tenetur deſiderio; Maria *Columba* illa *eſt in foraminibus Petræ in Cavernis Maceriæ.* Si *urbs refugij* nomine Bozor à Moyſe in ſolitudine ædificata eſt, Maria eſt *urbs* quæ neminem criminis reum ad ſe confugientem repellit. Illa eſt quæ *Apoc. 12.* Corona duodecim ſtellarum redimita inſequentis Draconis effugitura rictum, *fugit in ſolitudinem.* Illa eſt, quæ à Sponſo urbanam hominum frequentiam nauſeante, *ducta eſt in ſolitudinem.* Illa eſt quæ teſte Ambroſio *lib. 2.* in Lucam ab Archangelo *ſola in penetralibus, ſola ſine comite, ſola ſine teſte reperta fuit*, illa denique eſt. quæ inchoato Incarnationis Myſterio *ſurgens abijt cum feſtinatione ad montana ſolitudinis ſalutatum Elizabeth.* Amat ergo Maria Eremum, & eſto dum viveret in terris eam aliquando incoluiſſe haud legatur, tot tamen ænygmatibus, ac Hieroglyphicis ſacris expreſſa, perſpicuum reddit, quanto Eremi deſiderio æſtuarit, ut hodierna die tot Thaumaturgæ Virginis ſtatuæ, ac imagines vix alibi, quam in remotioribus ab hominum frequentia, locis reperiantur.

Exemplo ſint imagines ſacræ, & miraculoſæ non paucæ: nonne ſtatua illa Mariana de Villa Vitioſa Cordubæ in Hiſpania tot ſignis corruſcans, extra urbes & vicos in ſolitudine invenitur, ſtatua inquam illa quæ à Paſtore quodam Ferdinando arbori excavatæ incluſa, in tantùm Throni illius carioſi magnificentia delectabatur, ut quanquam Luſitani Cives aureum illi Tabernaculum in Primario urbis templo fabricarint, eoque imaginem bis è trunco cavo exceptam collocarint: Virgo tamen urbis & aurei pegmatis pertæſa, in ſuas ſylvas, in ſuberis perroſi truncum, occulta, ſed cœleſti virtute iterum

ite-

Digitized by Google

iterumque redijt. Hodie quoque Cordubenſes Cives impetraturi pluviam, ſtatuam hanc, ab adamato ſibi ſubere excipiunt quidem, ac in urbem deferunt, facta tamen prius proteſtatione ſe eandem ſumma Religione reportaturos, quod niſi facerent, ſtatua nullis ſeris aut repagulis ita ſe retineri pateretur, quin denuo ad ſuam ſolitudinem, ad cavum ſuberis truncum ſtupendo prodigio reverteretur. Ex quo conjicere licet, unam Eremum Thaumaturgæ Virgini, contempta urbium magnificentia, in delicijs eſſe. Huic non ab ſimile eſt, quod de imagine virginis portentos ſcribit *Gumpenberg. Atl. Mar.* Quæ Salmurij in Gallia ad fontem Ardillienſium à Colono quodam effoſſa, domumque ab eodem delata repente evanuit, eodemque in loco ubi reperta eſt, ſe rurſus viſendam præbuit: Homo ille conditionis agreſtis, moribus tamen civilis, iterum Virginem in domum ſuam invitat ac etiam nolentem defert, at virgo quanquam alioquin delicias ſibi eſſe dicat cum filijs hominum, hoſpitium tamen Ruſtici dedignata, in agrum ſolitarium, velut Theſaurus jam non abſconditus, ſed patulus revertitur, ibidem adhuc hodie firmo pede manſionem ſuam ſic ſtabilit, ut ne loco ſe extra ſolitudinem ſuam moveri, aut ſi moveatur diu ſe violenta ſtatione retineri non patiatur.

Quid memorem de prodigioſis illis ſtatuis, & imaginibus, quæ Serrati in Hiſpania, Sichemij in monte acuto, Cellis in Styria, Czeſtochoviæ in Polonia, & alibi, urbium frequentiam execratæ ſummo hyperduliæ cultu in amœna ſolitudine coluntur, quarum quædam loco ſe moveri aut alio tranſportari niſi ad tempus haud ſuſtinent. Ipſa etiam Domus Sacra Nazarethana juſſu Virginis ab Angelis è Paleſtina in Europam ſpacio unius noctis per mare, per terras ultra duo leucarum millia tranſlata, non alibi conſtitit, quàm in ſolitudine quadam Regni Dalmatiæ, Terſactum inter & Flumen, ſub Dominio Comitis Nicolai de Frangepanibus, tum Regni illius Gubernatoris ſeu Bani. Factum hoc ad annum ſalutis 1291. 7. Maij, verum non niſi triennio Regionem illam præſentiâ ſuâ cohoneſtans, ruditate populi, an loci indignitate commota, neſcitur, iterum Anno Nati Emanuelis 1294. 10. Decembris è Dalmatiæ ſolitudine, in Italiæ ſylvam, quæ modo Lauretum dicitur, commigravit inde propter frequentia latrocinia in collem apertum tranſitionem fecit, ſed & ibi creſcente inter Fratres Loci Dominos invidia, propter aurum largè à Chriſti fidelibus oblatum, iterum ab Angelis à collis faſtigio cum fundamentis eruta, in publicam deinde viam deponitur, hic hodieque ſtat, miraculis, quàm gemmis & auro nominatior: Et eſto plerum-

Digitized by Google

rumque in imaginibus miraculoſis urbes averſetur Maria, deſertaque inhabitet, vix tamen ſtationem figere incipit, adeò mox homines in ſui vivendi deſiderium attrahit, ut deſertum in urbem, & urbs in deſertum ſæpè numero commutari videatur.

Et quid opus in Italiam pro capienda veritatem Lectorem abducere, vertamus oculos in vicinam nobis Auſtriam: ibi non ita pridem Anno ſcilicet genitæ ſalutis 59. poſt milleſimum ſexcenteſimum, novis gratiarum prodigijs imago Virginis, ſinu ſuo filium exanimem geſtantis, coruſcare cœpit, tot apparitionibus illuſtris, ut niſi res typo, auctoritate Ordinarij edita fuiſſet, & copioſorum Teſtium jurejurando firmata, jure quis de rei merito ſubdubitare queat: viſæ enim ſunt non ſemel in aëre albatæ peregrinantium turmæ, cum labaris pariter candidis, quercum ſacram, cui dicta icon inſerta erat, accedentes, idque frequenter admodum, diverſis temporibus præfati anni 1659 obſervatum eſt: à diverſis pariter hominibus, menſibus potiſſimum Aprili, Majo, Junio, Julio. Hodie quercum illam ſumptuoſa circumdatam Baſilica conſpicimus, & magnam hominum, eo confluentium, frequentiam; Locus autem eſt in ſolitudine & monte vitifero Dominij Pechlarienſis ſub Diœceſi Paſſavienſi, & ab Auſtriacis ſuo idiomate Maria Täſſerle / ſeu *Tabella Mariæ* cognominatur.

De Virgine Eremitana non poſſum non recordari, quæ quia cum Noſtra Remetenſi eodem cognomento gaudet, lubet ejus initia paulò altius commemorare: Colitur prodigioſa hæc ſtatua in Sueviæ partibus, tanto miraculorum numero illuſtris, ut non tot horis per ſeptingentos annos durare, quot miraculis corruſcare videatur. Culta eſt initio à Sancto quodam Eremita, Menrado nomine Comitis Sulgenſis filio, eo verò à Latronibus interfecto. Benno quidam è Regio Burgundiorum ſanguine Epiſcopus Argentinenſis devotionem ergra ſacram hanc iconem reſuſcitavit, idq; circa annum Domini 940. Secutus hunc Eberhardus Decanus Argentinenſis Bennonis conſanguineus, hic ædificato Cænobio, Sanctum Conradum Epiſcopum Conſtantienſem invitavit, rogavitque, ut tam nobile Templum tandem Eccleſiæ ritu Virgini Deiparæ dedicaret. Annuit ille, & Udalricum Auguſtanum Præſulem, quem tum habebat hoſpitem una deductum, tanto Virginis feſto intereſſe voluit, cum ecce pridiè quàm inſtitueretur dedicatio, Conrado ad preces in cubiculo ſuo vigilante, viſæ ſunt feneſtræ inſolito relucere fulgore; Tum non parum attonitus Conradus, ipſum quoque templum accenſis luminibus reſplendere animadvertit: Ingreſſus itaque Sacellum, vidit delapſos

Cœlo

cælo Divos peragere, quam ipſe poſtridie peracturus venerat dedicationem. Sed placet totam rei ſeriem ab ipſo S. Conrado Epiſcopo in libro de ſecretis ſecretorum à ſe conſcripto in hæc verba audire.

Anno à Nato Salvatore 948. Imperante Ottone ſedente Agapito ſecundò, Anno decimotertiò Epiſcopatus Conradi, feſto S. Crucis in autumno, fuit ab ipſo Chriſto Domino noſtro & à ſuis Sanctis Angelis conſecrata Capella B. V. in Eremo in hunc modum. Chriſtus Dominus noſter deſcendit de cœlo, caſula Sacerdotali, ſive purpurea, ſive violacea indutus, ſeque ante altare B. Virginis ſtitit, ibique Sanctiſſimæ Miſſæ Officium complevit, præſentibus quatuor Evangeliſtis, qui ritu Eccleſiæ, mitram imponebant ſacro capiti, vel amovebant, Sancti Angeli accenſis Aureis thuribulis odoribus replebant Templum, non ſine ſuavi ſono, qualem Zephyrus ſolet efficere, cùm inter arborum folia ludit. Aſtitit lateri uni S. Gregorius tenens manu aſpergillum, alterum latus tenuit S. Petrus, pedumque paſtorale præſetulit. Aſtitit quoque cum S. Auguſtino, S. Ambroſius, ipſa verò Virgo Deipara ſuper altare inter corruſcos, & plus quàm ſolares radios cœleſti cum Majeſtate apparuit, S. Michael Archangelus Symphoniacorum Præfectus, Angelorum nonnulli Suffraganeorum Epiſcoporum officio fungebantur. Cantus is ipſe & omnium ceremonia fuit ad eam formam, quam ritus Eccleſiæ in Templorum Cathedralium conſecratione præſcribit. Epiſtolam cecinit S. Stephanus, S. Laurentius Evangelium, reliquum quod ſuppererat cantus fecere Angeli, non ſine præſtantiſſimis inſtrumentis. Quædam verba etiam mutarunt, etenim ~~cum ad Sanctus ventum eſt~~, ſic auditi ſunt verba variare; *Sanctus Deus in aula Glorioſæ Virginis Mariæ. Sanctus Deus in altari Sanctæ Crucis, Sanctus & immortalis Dominus Deus Sabbaoth pleni ſunt cœli & terra gloria tua. Benedictus ſit Filius Mariæ in æternum, qui venit in Nomine Domini Oſanna in excelſis.* Nonnulla quoque mutata ſunt cum ad Agnus Dei ventum eſt, *Agnus Dei miſerere omnibus, qui credunt in te miſerere noſtri, Agnus Dei miſerere defunctorum, qui in te requieſcunt. Agnus Dei da pacem vivis & defunctis, qui te benedicunt.* Quoties verò ex ritu Eccleſiæ opportebat dicere *Dominus vobiſcum*, dixit, *Deus ſit vobiſcum*, reſpondentibus Angelis, *qui ſedet in Throno Cherubinorum, & videt abyſſum inferni.* Mane orto Epiſcopus Conradus in templo permanſit, omnibus pro templi conſecratione ritè diſpoſitis, monent proinde Clerici populum jam adeſſe, Conſecrationi dandum initium, ſed ille quæ noctu facta eſſent veriſſima narratione illis exponit. Iſti verò pium ſomnum venerati inſtant obtruſis ſacris

Digitized by Google

veſtibus, coguntque nolentem ad ſacras cæremonias peragendas, vix autem ſacris datum eſt principium, cum vox clara omnium auribus ter de cœlo inſonuit, *Frater ceſſa ceſſa conſecrare*, territi qui negabant, fidem dedere verbis Conrado, Deumque in miraculis ſuis laudaverunt, quæ omnia ipſe ſæpe memoratus Conſtantienſis Antiſtes Conradus, qui Cæſarem Ottonem, cum alijs Epiſcopis comitatus eſt in Italiam pro reſtituendo Leone Octavo, à Rebellibus Romanis ſede pulſo, confirmari fecit à dicto Chriſti Vicario.

Hæc de Virgine Eremitana ex Atlante Mariano decerpta ſunt, ut videas Lector Mariane, quantis Deus ipſe honoribus Eremum olim illuſtrarit meritis Glorioſæ Virginis, ibi Tabernaculum ſuum figentis, ubi alias ferarum cubilia, Satyrorum, faunorumque latibula præextitiſſe compertum eſt: nimirum quæ antea dixi repeto, Maria *Rubus* incombuſtus eſt, eſt *Virga* ſerpentium devoratrix, eſt *Columba* inforaminibus Petræ, eſt *Vrbs* refugij ſic eam appellat Eccleſia, ſic SS. Ambroſius, Richardus à S. Laur. & purpuratus Eccleſiæ Doctor Bonaventura; non alibi naſcitur rubus, quam in, vel prope Eremum, nec alibi creſcit Virga, quam in ſylvis, nec alibi urbs refugij conſtruitur à Moyſe, quam in ſolitudine.

Pauca ſunt, quæ enumeravi loca eaque celebriora tantùm quorum ſolitudine per orbem Chriſtianum Maria delectatur; Quis enim baſilicas templa, oratoriaque omnia honori Mariano in vallibus, ſylvis & deſertis erecta recenſeat, in quibus Mater illa Admirabilis, vera ſalus infirmorum corporum ſalutem per prodigia ſtupenda operatur. Et quidem ſi gloriari oportet, in uno duntaxat Hungariæ Regno octuaginta & amplius Eccleſiæ Ordinis Noſtri recenſeri poſſent, in quibus olim benigna Mater, gratias ſanitatum, virtutesque curationum indigentibus, ſeque requirentibus impertita eſt, ſed nequaquam inter numeroſa urbium tecta hoc factitatum tibi velim perſuadeas, ſi aliunde noſtri Paulinos aviticæ conſuetudinis tenaces, ſuam ſemper ſolitudinem urbibus præferre, & prætuliſſe.

Ex tot tamen, Eccleſijs Mariano Nomini conſecratis, hodie ſub Apoſtolica Regni Hungariæ Corona, reſtant quam pauciſſimæ, utpotè quos Gradivus Ottomanicus proprijs cineribus ita ſepelivit, ut novus inde phænix ſurrecturus haud ampliùs ſperari poſſit, hoc tamen ſolatij nobis reliquum manſiſſe videmus, quod ijs in regnis, quibus Palma Ordinis Noſtri ſolidiùs, quam alibi plantata eſt, tres videamus vetuſtæ fundationis Eccleſias, unam in monte, duas in vallibus, ubi ſuper benedicta Mater largius quam

uſpiam

Digitized by Google

uſpiam locorum ijs in regnis fontes gratiarum ſuarum aperit, datque *ſiceram mærentibus & vinum his, qui amaro ſunt animo.* Et una quidem eſt Claromontana Czeſtochovienſis in Polonia, altera Tallenſis in Hungaria, Tertia Remetenſis ſeu Eremitana in Sclavoniæ Regno, ubi & concurſus hominum viſitur frequentior, & locus fama ſanctitatis relucet clarior, & gratia ſupplicantibus offertur uberior.

PRÆAMBULUM TERTIUM.

Quid ſit? & an vera ſint Miracula, quæ hic & alibi meritis B. Virginis per ſacram ejus imaginem contingunt! & quis eorum ſit cauſa.

MIracula ſcripturus, operæ precium exiſtimo ante omnia ſcire, quid ſit Miraculum. Eſt ergò juxta D. Auguſt. *aliquod arduum & inſolitum ſupra facultatem naturæ, & præter ſpem admirantis apparens.* Duo ergò ad rationem miraculi requiruntur, primò, quod excedat totam facultatem naturæ, ſecundò, quod ſit inſolitum & rarum. Hinc excluduntur à ratione miraculi omnia illa mirabilia, quæ quantumcunque hominis animum in admirationem rapiant, naturæ tamen limites non egrediuntur, facultatem non ſuperant, uti erant operationes illæ mirabiles, quas Pharaonis Magiſtri ope diabolorum effecerunt applicando activa paſſivis. Neque etiam miracula fuerunt illa, qualia vulgus ~~eſſe olim opinabatur, ingentia~~ artificioſorum hominum opera, quæ ſeptem mundi portenta appellantur, ut Templum Dianæ Epheſi. Mauſolæum Reginæ Cariæ, in honorem viri ſui nomine Mauſoli ſtructum. Coloſſus Jovis apud Rhodios, ſimulacrum Jovis Olympiaci, à Phidia ex ebore confectum. Muri Babylonij, quos Semiramis Regina conſtruxerat. Pyramides Ægypti miræ altitudinis, de quibus Martialis *lib. 1. Epig.* 1. Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis. Tandem Domus Cyri Medorum Regis, quam Memnon, illigatis auro lapidibus pretioſis fabricavit.

Alia miracula videbantur illa, quod Archimedes Syracuſanus, ſola manu ingentem navim gravi pondere onuſtam, & contra multorum hominum vim, alias immobilem, placidiſſime ad ſe attraxerit, ut teſtis eſt Plutarchus in vita Marcelli. Item quod adeò artificioſas tormentorum machinas confecerit idem Archimedes, in Syracuſanæ urbis defenſionem, ut Romani qui

Digitized by Google

urbem oppugnabant dicere cogerentur, videri ſibi non cum hominibus, ſed cum dijs ſe bellum egiſſe. Miraculum etiam putabatur lignea illa columba. quam teſte Gellio *lib.10. cap.12.* Architas Pythagoricus Tarentinus affabre confecit, hæc enim per aëra volabat, ut omnibus viva videretur. Tradit Boëtius in Epiſtola quadam de Severino admirando quodam Architecto, ejus mirabili artificio factum, ut æneus bos mugiret, ænei ſerpentes ſibilarent, æneæ volucres dulci cantu modularentur, & homines per aërem viderentur tubis perſonare. Quid plura? dictus Archimedes Syracuſanus Philoſophus vitream ſphæram confecit, in qua omnes cœlos conſtituit, cum motibus annorum, menſium, diei & noctis, cujus meminit in hæc carmina Claudianus Poëta, repræſentans Jovem ſic loquentem.

Iupiter in parvo dum cerneret æthera vitro
riſit, & ad ſuperos talia dicta dedit.
Huccinè mortalis progreſſa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumq́ fidem, legesq́ virorum,
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus varijs famulatus ſpiritus aſtris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium melitus ſignifer annum
Et ſimulata novo Cynthia menſe redit.

Hæc tamen & ſimilia indigniora ſunt, quam ut Miraculorum nomen eiſdem tribuatur, eo quod naturæ facultatem non excedant, & ſolùm mirabilia videntur ijs, qui occultas naturæ vires, aut penitus ignorant, aut rectè non intelligunt. Multas enim natura vires habet paucis tamen cognitas, ut quod aurum fiat naturali artificio chymicæ, ignis ardeat ſub aqua, roſæ producantur brumali tempore, intrà horæ ſpacium inſeminatæ fabæ excreſcant, cubiculum totum inflammetur, nec tamen damni quidquam, vel pilus minimùs patiatur. Hæc ars naturæ diſcipula, imò Simia imitatur medijs proportionatis, occultis, non tamen ſuperſtitioſis, ut in Magia vetita contingit, ſed merè naturalibus, ut Philoſophi oſtendunt.

Alia iterum dicuntur Miracula, ſed latiori ſignificatione pro raritatibus naturæ. Tale miraculum fuit, homo ille, Marco Antonio Mureto, ut ipſe

Digitized by Google

ipſe ſcribit, notiſſimus, adeò firmæ tenacíſque memoriæ, ut triginta tria millia vocabulorum ſibi antea ignotorum, eo ordine, quo ipſi prælegebantur recitaret, eademque incorrupta via denuò retrorſum incipiendo, ad initium uſq; ſine ulla hæſitatione repeteret. Tale quoq; fuit Miraculum vir ille, de quo ſcribit Olympiodorus, & quem oculis ſe conſpexiſſe teſtatur Ariſtoteles, qui tota vita ſua ne micam comediſſe, ne momento dormiviſſe deprehenſus eſt.

Quid memorem de Tiberio Cæſare admiratione dignum, quem *Val. Max. lib. 1. cap. 6.* tam lynceis perſpicacibusque oculis præditum affirmat, ut inter opaciſſimas tenebras quæque videret diſtingueretque, ac ſi in ipſa verſaretur meridie. Nec tacendus opilio ille Epimenides Cretenſis dictus, de quo *Plinius lib. 7. cap. 52.* qui ſpeluncam ingreſſus ibique cogente ſomno obdormiſcens, ante quinquaginta ipſos annos ne ſemel evigilaſſe ſcribitur, merito hunc Endymiones calendarijs ſuis inſcribere, & pro Patrono venerari deberent. Pro magno quoque naturæ miraculo ſit, quod teſte Raviſio, Martia quædam Matrona Romana, fœtu jam animato gravida, ingruente tempeſtate à fulmine illæſa permanſerit, exanimato fœtu. Neq; excludendus è prodigioſorum hominum ſerie Potkoviczius ille ſtupendæ fortitudinis miles è Caſtris Matthiæ Corvini Hungarorum Regis, quem Bonfinius ferream equi ſoleam nudis manibus, ut cartam dilaceraſſe, integrum faſcem cartifoliorum, quod factu difficillimum eſt, levi digitorum anniſu in plura fruſta dirupiſſe commemorat, multa ſunt talia, quæ paſſim Lector apud Authores & præcipuè Raviſium inveniet.

Sed mihi de Miraculis Glorioſiſſimæ Dei Parentis ſcribenti, fas ſit dicere, neminem mortalium, ſi Chriſtum excipias, una Virgine Deipara, & numero & magnitudine extitiſſe prodigioſiorem; Totam animam miraculum dixeris, vel ex miraculis compactam. Nata eſt miraculo ex parentibus ſterilibus, educata cum miraculo in Templi penetralibus (cælitus enim dicitur, ibi paſta ab Angelis) deſponſata cum miraculo S. Joſeph ſalvis Virginitatis clauſtris atque ſigillis; gravidata miraculosè ſine viro, puerpera ſine dolore, mortua ſine infirmitate, ſepulta & non putreſcens, in cœlum ſublata corpore & anima, ut merito noſter Pater Andreas Goldonouski Poloniæ Provincialis in ſua Diva Claramontana primò ſtatim folio infrà effigiem ſic cecinerit.

Digitized by Google

Mira patrat Virgo, quid ni miranda patraret?
Mira ortu, vita, funere, progenie.

Nihil tamen in ea mirabilius quam quod Mater Dei ſit, hoc miraculum ſuperat omnia, quæ in ſcriptura exprimuntur, majus eſt hoc, quàm quod homo de limo terræ fiat, & mulier de coſta viri formetur; quod centenarius ſenex Abraham, & nonagenaria anus Sara generet Iſaacum; quod rubus ardeat, & non comburatur; quod virga in ſerpentem, aqua in ſanguinem convertatur; quod ferrum aquis ſupernatet, qùod ex aſini mandibula aquæ effluant, quod Aſina Baalam in voces, & verba humana prorumpat; quod manna cœlum pluat; quod virga arida floreat; quod oleum ex ſaxo duriſſimo profluat; quod aquæ Jordanis retrorſum convertantur; quod ſolis curſus retineatur; Majus inquam, eſt hoc miraculum omniumque miraculorum prodigium, eſſe ſcilicet Matrem Dei, idem enim eſt, ac Creatorem à creatura produci, fontem oriri à rivo, ſolem è ſtella naſci, figulum à vaſe fingi, architectum à domo conſtrui, ſphæram in centro conſiſtere. O miracula, O prodigia.

Quemadmodum ergo Rhetores Juvenem Angelicis moribus conſpicuum, ipſummet Angelum, modeſtiſſimum quemque, ipſam modeſtiam, pulcherrimum, ipſammet pulchritudinem quaſi in abſtracto appellare conſueverunt, ſic Sancti Patres Virginem à tot miraculis celebrem ipſum miraculum compellare non dubitant. Sanctus enim Ignatius Martyr in Epiſt. ad S. Joan. Evang. eam vocat cœleſte prodigium & ſacratiſſimum ſpectaculum. Divus Ephrem or. de Laud. Virginis eam ſalutat præſtantiſſimum univerſi orbis miraculum. Divus Damaſcenus in or. de Nativit. Mariam dicit miraculum miraculorum omnium maxime novum. Denique Andreas Jeroſolymitanus in Saluta. Deip. eam ut miraculorum officinam honorat. Et verè miraculorum officina eſt Maria, in qua Architectus ſupremus brachio ſuæ omnipotentiæ quotidie in ægrotos, & alios tam ſtupenda operatur; quæ quidem etſi rideantur ab Hæreticis, aſſerentibus nulla per merita B. Virginis patrari poſſe admiranda, ridendi tamen ſunt vel ipſi qui experentiæ tam claræ adverſari non verentur. Audiant illi Baſilium Seleuciæ Epiſcopum orat. in Deipar. annunc: *Quis inquit, magnam Dei Genitricis virtutem non veneretur, quis, quanto eas omnes intervallo poſt ſe relinquat, quas Divorum loco non habemus nos miretur, ſi enim Chriſtus ſervis ſuis tantam gratiam conferre dignatus eſt, ut ſolo contactu, imo verò ſola corpo-*

Digitized by Google

corporis umbrâ ægris præſidium afferre poſſent, nam ut Actorum Liber expo-nit, infirmi in plateas ejecti umbra tantum Petri contacti, liberi à morbis evadebant, non deerant quoque qui linteo quo Apoſtolus Paulus corporis ſu-dorem exterſerat accepto, infeſtos Dæmones profligarent, qualem vim adver-ſus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuiſſe putandum eſt, an non multo majorem quam cæteris Chriſti imperio ſubjectis? omnino hæc res clara eſt. Hæc ille.

Sileant ergo Hæretici in Mariam tam injurij, ut quæ ad ejuſdem ſa-cras aras circa devotos Chriſti fideles contingunt prodigia, ea ipſi inter fa-bulas Æſopi annumerent, vel deliria ſacerdotum & vetularum eſſe, deliri ipſi comminiſcantur: Fateor cum Cartagena in hoc genere credulitatis miraculorum, media via incedendum eſſe, nec ea omnino credere fide cer-tiſſima, nec omnino rejicere tanquam incerta, vel falſa. Uti his verbis ſa-pienter edocuit inſignis Doctor Caniſius Lib. 5. de Deipara c. 18. his ver-bis, *eſt media tenenda via, ut in Marianis miraculis admittendis, & con-firmandis neque nimis faciles, neque rurſus plus æquo difficiles, ac moroſi eſſe velimus, minus enim periculi erit, ſi à bonis probabiliter narrata, & à do-ctis non rejecta, quæ ad piorum ædificationem faciunt, recipiantur, quam ſi eadem faſtidioſo, contentioſo, & perfricato animo repudiantur* hæc Ca-niſius.

Utrum vero quæ ſic à Beatiſſima Dei Matre & alijs Sanctis morborum procedunt curationes, ſint ex ordine ſupernaturalium, & vera miracula? Re-ſpondeo vera eſſe ſupernaturalia, non quidem quo ad ſubſtantiam, ut Theo-logi loquuntur, hoc eſt quaſi curatio illa vel liberatio à vinculis in entitate ſua eſſet ſupernaturalis, ſed tantum quo ad modum, hoc eſt ſtantibus his circumſtantijs, quibus homo caret, omni medicina congrua, vel ea non uti-tur ad avertendum morbum, ſupernaturale eſt & vere miraculoſum, ſi ho-mo directis ad Deum vel ejus Matrem aut alium Sanctum votis, ac precibus inſperatò & repente ſanitatem conſequatur, quæ alias naturaliter ſine me-dijs haberi non poſſet. Contingit quidem nonnunquam, ut homines ru-des miraculosè ſe ſanatos exiſtiment, eſto ea curatio à ſumptis forte medi-cinis aut abſtinentia à noxijs ortum traxerit, conſultum tamen eſt, ut in pio hoc errore potius relinquantur, cum nihil hic contra fidem, aut bo-nos mores interveniat.

Objiciet hic non nemo de eſſentia miraculi ut ſupra dicitur eſt, ut ſit inſolitum & non ordinariè ſed rarò contingat, at qui hujuſmodi prodigioſæ cura-

Digitized by Google

curationes morborum, liberationes à vinculis, ſuſcitationes à mortuis, inventiones rerum perditarum frequenter contingunt, ut patet ex innumeris beneficijs à Dei Matre alijſque ſanctis impertitis, ergo vel miracula non ſunt, vel definitioni dictæ ſtandum non erit. Reſpondeo me propter hoc ipſum ab hac definitione recedere, quamvis hodie ferme contraria communior videatur, quia & probabilior: negandum ergo cum celeberrimo Doctore Joanne de Carthagena *Tom. 3. Lib. 19. & ultimo N. 4. in fine*, & Viguerio de gratia Divina *Cap. 9. §. 21* raritatem non eſſe de ratione miraculi: Etenim ſi ut Viguerius, & ex eo Carthagena loquitur, quotidie ſuſcitaret Deus homines à mortuis, certe eorum ſuſcitatio, quantum attinet ad rationem eſſentialem illius actionis, non minus eſſet miraculoſa quam nunc, licet alioquin non tantam admirationem in nobis cauſaret propter ejus frequentiam, quare omnia opera, quæ quantum ad ſubſtantiam, vel modum ſuperant totam facultatem naturæ creatæ, opinor vere & eſſentialiter eſſe miracula. Alioquin & tranſſubſtantiationem non eſſe miraculum neceſſe eſt, quia quotidie fit, & toties quidem, quoties conſecratio panis & vini iteratur à Sacerdotibus hanc tamen á ſeriè miraculorum nullus Theologorum excludere præſumit. Clarum ergo eſt, ut cætera argumenta omittam, raritatem non eſſe de eſſentia miraculi.

Cæterum miraculorum operator ſolus Deus eſt, Pſalm. teſte, qui facit mirabilia magna ſolus, diciturque cauſa principalis, ad diſtinctionem aliorum Sanctorum, per quos Deus hic in terris operatur prodigia, qui vocantur cauſa inſtrumentalis, utitur enim illis Deus tanquam viſibilibus omnipotentiæ ſuæ inſtrumentis. Beata Virgo autem alijque Sancti quos regnantes in cœlo invocamus in ſuis imaginibus, & ſtatuis, ſunt cauſæ morales miraculorum, quatenus eorum meritis & interceſſionibus movetur Deus ad faciendam potentiam in brachio ſuo.

PRÆAMBULUM QUARTUM.

An Infirmi Beatam Virginem inclamando recte faciant? An eos in cœlo exiſtentes audiat? Item an poſſit ſuccurrere.

ECcleſiæ Maſtiges, ſemen nequam, filij ſcelerati, Hæreticos appello, ſuperſtitionis, & idololatriæ nos accuſant cum B.V. & aliorum Sanctorum

Digitized by Google

rum preces, ac interceſſionem nos implorare audiunt: mortui jam ſunt, ajunt illi, nec audiunt, vel intelligunt quid loquamur. Vos ipſi mortui eſtis in ſpiritu & fide, idcircò nec auditis quid dicat Eccleſia, nec intelligitis, quid loquatur ſcriptura, probate ſi poteſtis invocationem Mariæ, & aliorum in cœlis regnantium, eſſe ſuperſtitionem, & cedemus vobis: exiſtimo autem, ſi omnia veſtra, contra dogma hoc Orthodoxum facta argumenta, in mortario veſtræ rationis contuderitis, vos ne unciam ſolidæ veritatis expreſſuros. Videamus ſcripturam. Nonne Baruch 3. legitur Judæos Dominum oraſſe *Domine Omnipotens Deus Iſrael audi nunc orationem mortuorum Iſrael*, ergò etiam mortui orant 2. Machab. 15. Onias Sacerdos digito in Jeremiam Prophetam jam pridem mortuum, ſed ſibi apparentem, intendens, *hic eſt*, inquit, *qui multum orat pro populo & univerſa Sancta Civitate Jeremias Propheta Domini.* Item Apoc. 5. deſcribuntur 24. ſeniores coram Throno Dei procidentes, *habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Demum Sanctus Petrus Apoſtolus brevi moriturus fideles confirmans, *dabo*, inquit, *operam, & frequenter habebo vos poſt obitum meum*, ſub intelligitur in memoria, hoc eſt orabo pro vobis 2. Pet. 1. quid clariùs ergo quam Sanctos pro nobis poſt mortem orare.

Quæ huc uſque de alijs Beatis diximus, idem jam in ordine ad Beatiſſimam Dei Matrem loquamur neceſſe eſt, ſi enim conſtat illos eâ apud Deum pollere gratia, ut invocati pro nobis ſuffragentur, & impetrent, per conſequens de Virgine, quæ eſt Regina Sanctorum omnium, & quæ tanquam Mater plurimum apud Deum Filium poteſt, negandum non erit, cum eam hodiedum ſuis in liturgijs præter Romanam Eccleſiam venerentur, & invocent Eccleſia Jeroſolymitana, quæ S. Jacobum Apoſtolum Fratrem Domini habet auctorem. Eccleſia Orientalis Æthiopiæ, & Ambroſiana, ſeu Mediolanenſis, quæ una 49. Archiepiſcopos è ſuo gremio in cœlum miſit, & faſtis Sanctorum adſcriptos habet. Accedit SS. Patrum Authoritas, qui omnes nullo excepto (ut ſæpiùs in hoc libello videre eſt) ſupplices Mariæ porrigunt manus, ejuſque ſe ſuffragijs humillime recommendant.

Quod igitur Deus approbat, ſcriptura ſuadet, viri Sancti uſurpant, ſuperſtitioſum & Idololatricum appellare, ſummæ temeritatis eſt. Faceſſant ergo, & abeant mille fulminibus digni Mariæ Maſtiges, Eccleſiæ deſertores, Orthodoxæ religionis inimici, pietatis Marianæ everſores, abeant ultrà Garamantas, & Indos, qui nodum in ſcyrpo quærere, hoc eſt in re trita, & apud omnes Chriſtianos manifeſta quæſtionem facere adlaborant.

Digitized by Google

Nota eſt Eraſmi Roterodami hominis impij, & ſemper in fide dubij, in Virginem ſuperbenedictam graviſſima impoſtura. Finxit homo mendaciſſimus Epiſtolam quandam, quaſi à Maria Virgine ſcriptam, & Glauco Plutoni miſſam in hæç verba. *Quod Lutherum ſecutus ſtrenuè ſuadeas, ſupervacaneum eſſe invocare Divos, à me quidem iſto nomine bonam te, magnamq́ iniviſſe gratiam ſcito, nam ante hac tantùm non enecabar improbis mortalium implorationibus à me unà poſtulabantur omnia, quaſi filius meus ſemper infans eſſet, quia talis fingitur, pingiturq́ in ſinu meo. Datum in lapidea domo.*

Beata Virgo mea manu ſcripſi.

O mendacium, mendaciorum omnium mendaciſſimum; Reginam Angelorum, & Sanctorum omnium, Matrem Dei digniſſimam, cum Glauco Plutone Dæmone infernali, & Lutheri Pædagogo, commercium litterarum, & familiaritatem habuiſſe? Virginem illam, quæ ſerpenti huic caput contrivit, cum quo perpetuas alit inimicitias, litteras dediſſe? O blaſphemum os, non cauterij aduſtione, ut faciebat Ludovicus Galliæ Rex, ſed ultimo exterminio puniendum. Dic fallaciſſimè non Doctor, ſed ſeductor, unde nam hæ litteræ datæ? per quem Angelorum ad nos delatæ? de lapidea inquit domo. Ergone Sancta Virgo poſt glorioſum laborum ſuorum terminum, in lapidea domo præmium recipit? & non in ſede ſubliniori omnibus Cherubin & Seraphin? verè tu ipſe domi tuæ non es, qui Mariæ lapideam domum aſſignas, & non potiùs *domum non manifactam æternam in cœlis* eidem tribuas; Claude os ô perfidia.

Sed modum quæris quo in tanta diſtantia res, vota, preceſque noſtras Virgo Maria, alijq́ue Sancti agnoſcant, ergo *dilata os tuum & implebo illud.* Beatam Mariam Virginem alioſq́ue Sanctos videre omnia in Verbo, velut in cauſa, ſeu ſpeculo voluntario, non tam meum, quam omnium rectè ſentientium Theologorum aſſertum eſt. Conſtituamus aliquod ſpeculum ita magnum, & lucidum, & ad tantam eminentiam elevatum, quod omnia illa quæcunq́ue ſunt; fuerunt & erunt repræſentet; refulgeant in illo ſpeculo omnes ſubſtantiæ intellectuales, ſive corpori alligatæ, ſive ab eo ſolutæ, refulgeat in eis, quid unaquæq́ue illarum agat, quid cogitet, quid velit, ponamus etiam oculum noſtrum debite eſſe ſpeculo applicatum, eſſe præterea viſu perſpicaciſſimum, nonnè omnia hic in ſpeculo videbit? Jam ad rem, Deus eſt ſpeculum lucidiſſimum, *Candor lucis æternæ & ſpeculum ſine macula.* Omnia inſemetipſo per ſuam eſſentiam, quâ formaliter & eminenter u-

niver-

Digitized by Google

niverſa continet repræſentans. Hoc ſpeculum dùm Beata illius Mater, alijq; Sancti inſpiciunt (vident enim Deum in cœlo *facie ad faciem, non in ænygmate, ſed ſicut eſt* adjuti luminè gloriæ) quomodò ergo nón vident omnia in illo ? ſi ſpeculum eſt repræſentans omnes creaturas, omnes earum motus, actiones, cogitata, dicta, deſideria; jam ergo deſiderat quis à Beata Virgine perfectionem vitæ ſpiritualis, Maria hoc deſiderium videbit in ſpeculo divinitatis, petat alter liberationem à vinculis, hæc vota ſuſpiciet in eodem ſpeculo, prematur hic paupertate, conturbetur ille ſpiritu, laboret alius infirmitate, naufragio quiſpiam detineatur, preces ingeminet, manus ſupplices protendat, Mariam in vota ſollicitet, hæc illa in ſpeculo omniá repræſentante non videat? tu ipſe cœcus eris, qui interioribus Mariæ oculis tenebras ineſſe putas. Videt ergo & ſcit Maria quid petatur, & quis & quomodo petat, vident & alij Sancti unus tamen plùs, vel minùs altero, pro menſura meritorum, & voluntate Dei, eſt enim hic, ut dixi, ſpeculum voluntarium, non omnibus æqualiter, ſed pro ratione meritorum objecta repræſentans.

Nec deeſt Mariæ voluntas, aut potentia miſeris ſuccurrendi, qui dubitat, vadat ad Cellas Marianas in Styriam, Lauretum in Italiam, Czeſtochoviam in Poloniam, Ottingam in Bavariam, Monſeratum in Hiſpaniam, Tall in Hungariam, vadat in Eremum Croatiæ, & videbit infiníta in parietibus anathemata, vota, tabellas, fulcra, velut totidem benevolentiæ, & pietatis Marianæ teſtimonia, hic præceps è turri collum & crura diffregiſſet, niſi Maria ſinum Maternum ſuppoſuiſſet, Hic ſclopo trajiciendus erat, niſi globum avertiſſet Maria, hic naufragio mergendus fuiſſet, niſi natandi imperitum Maria ſuſtinuiſſet: ubi eſtis vos cœci, qui collyrio Marianæ pietatis, oculos inunxiſtis, & viſum recepiſtis? Venite ô claudi, qui fulcro Marianæ fiduciæ innixi, crura roboraſtis, Adeſte infirmi ac moribundi, fateamini, an non ex hoc uno Marianæ miſerationis pharmacopæo deſperatis rebus omnibus, Hypocrate, & Galeno ſtupentibus, vires & ſanitatem veſtram receperitis? Rectiſſimè dixit Rich. à S. Laurentio *Pietate habet repleta ubera Maria, quæ alicujus miſeriæ notitia tacta, ſtatim lac fundunt miſericordiæ, nec poteſt miſerias noſtras ſcire, & non ſubvenire.* Et eſto procul à nobis ſuper cœlos verſetur, charitatem tamen non amiſit; etſi enim, ut Apoſtolus loquitur 1. Cor. 3. in cœlo Prophetiæ evacuentur linguæ ceſſent, ſcientia deſtruatur, charitas tamen nunquam excidit. Quod ſi hujus peregrinationis tempore miſeris compaſſa eſt, ut in nuptijs illis Canæ Galileæ interpellando

Digitized by Google

Filium vinum non habent, quanto magis nunc in cæleſtis Patriæ triclinio filio aſſiſtens pro nobis ſupplicat, fili mi, ille non habet vinum contritionis lachrymarum, quo peccata abluat, ille non habet vinum devotionis, quo cor aridum perfundat, illi deeſt vinum ſanitatis, quo vires reficiat, hic caret vino conſolationis, quo animam lætificet. Neque enim locus quem Maria inhabitat terra oblivionis eſt, quæ indigenas ſuos memoria privet, pietate ſpoliet, ſed eſt terra viventium quæ corda dilatat, affectus extendit, ut innumera probant beneficia cælitus accepta.

Quæſtio jam eſſe poteſt, an quilibet Sanctus quocunque in negotio invocetur, ſupplicanti præſto eſſe poſſit? v. g. an S. Agnes Virgo ſubvenire poſſit naufrago, cum ipſa forte nunquam navigaverit. Vigilantius Hæreſiarcha id negavit, eum ſecutus eſt, velut mali corui malum ovum, Lutherus, Calvinus, & cum ijs Eraſmus; hic ultimus in colloquio de naufragio, cultum, & invocationem B. Virginis his ineptijs arguit; *Nauta ait vicini naufragio canunt Virgini ſuum ſalve Regina, appellantes eam ſtellam maris, portum ſalutis, quid illi cum mari, quæ nunquam ut opinor navigavit.* Et in alio loco de peregrinatione introducit B. V. querulantem, quod videlicet tam varijs, & impertinentibus negotijs à mortalibus ſolicitetur, his verbis, *itane ego ſola Mulier & Virgo dabo operam navigantibus, belligerantibus, negotiantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, ſatrapis, Regulis, Agricolis*; Quibus verbis inſinuare vult, Virginem nobis opitulari nec velle ob faſtidium, nec poſſe, propter negotiorum multitudinem, aut ignorantiam. Sed quid ſunt hæc, quam gravis quidam verborum inanium fumus, ac præſtigiatorum inane ludibrium; Si enim Sancti à nobis invocati ſuccurrere nequeunt, niſi in negotijs, quæ ipſimet in hoc ſæculo olim practicarunt, videretur in infirmitatibus ſolùm invocandus S. Coſmas & Damianus Medici, aut ſi quis alius Sanctus medicinæ artem in terris exercuit; in negotijs forenſibus, nemo interpellandus eſſet præter Sanctum Juonem, qui in hac vita juri operam dedit, ſed contrarium; quin vidimus illos, qui nunquam arma tractarunt, ſibi tamen devotos juviſſe in prælijs, ut temporibus Alphonſi Regis, Sanctus Jacobus Apoſtolus in bello Hiſpanico contra Saracenos, & Barbaros, equo candido inſidere conſpectus eſt. Virgo Maria, etſi Martis ſcholam ne è limine ſalutaverit (quid enim Virgini cum armis) eo tamen tempore, quo Suecus ante quatuordecennium noſtrum clarum montem Cheſtochovienſem cum 12000. Duce Millero oppugnaverat, viſa eſt ab ipſomet Suecorum exercitu

Digitized by Google

tu mulier in aëre, cæruleo amicta theriſtro muros obambulare, tormenmenta in hoſtes dirigere, fulminare in caſtra adverſariorum; imo hoſtes triumphare, ut inglorij ex hoc uno loco pedem retraxerint, cum alioquin univerſam fere Poloniam victricibus armis ſubegerint. Et certe de Beatiſſima Virgine experientia indubitatum eſt, eam omnibus in negotijs commune eſſe præſidium, ad quod omnis ſtatus, ſexus, ætas, in quibusvis anguſtijs recurrit, Sacerdotes illi ſupplicant in caſula, Reges in purpura, divites in auro, pauperes in centone, captivi in vinculis, infirmi in lectulis, omnes in ſuis neceſſitatibus. Stultum itaque & impium eſt affigere Sanctis ignorantiam, aut inexperientiam rerum hujus vitæ, eſto enim in terris multa ignoraverint, in cœlo tamen hæc ignorantia tranſivit in omniſcientiam; *Quid eſt enim quod non vident, qui videntem omnia vident*, ait Auguſt. Et eſto in hac vita non omnes erant medici, ſicut S. Lucas, Coſmas, & Damianus; non omnes Doctores, ut S. Paulus, Auguſtinus, Ambroſius; non omnes milites, ut Georgius, Mauritius, Sebaſtianus; in ſtatu tamen beatitudinis ex illo magno ſpeculo, de quo antea, ex illo ingenti codice Divinitatis, omnia intelligunt, & comprehendunt, minimus Sanctus in cælo melius novit virtutes omnium herbarum, quam aut Plinius, aut Diaſcorides aut Matthiolus, melius callet medicinam, quam Hipocrates aut Galenus, una muliercula beata melius comprehendit univerſas belligerandi artes, & ſtratagemmata quam Alexander Magnus, Julius Cæſar, Hannibal, aut Pompeius.

Quando ergo dicit Eraſmus, Beatam Virginem à Navigantibus invocandam non eſſe, eo quod illa nunquam navigaverit nec ſciat modum gubernandi navigij, non attendenda ſunt inſani hujus cerebri hortamenta, quando enim Mariam aut S. Nicolaum in naufragio imploramus, non petimus ut veniat, clavum teneat, remos agat, ſed ut apud Deum pro nobis intercedat, quatenus tempeſtatem ſedare velit, cui venti & mare obediunt. Quando S. Antonium Paduanum in morbo interpellamus, non volumus, ut ille deſcendat, pharmaca conficiat, & propinet, venam aperiat, ſed ut Deum oret in cujus manu vita & mors, quatenus inviſibili ſua dextera morbidis medeatur. Invocamus autem peculiariter quoſdam Sanctos in certis neceſſitatibus noſtris, non quod credamus alios Sanctos eas ignorare, ſed quia iſti dum viverent eadem in carne ſua perpeſſi ſunt, ſic in tentationibus libidinis invocamus Sanctas Virgines, quatenus ſua interceſſione nos adjuvent, quæ pro caſtitate uſque ad mortem decertarunt. Sic illi, qui dentium agun-

aguntur doloribus ad S. Apolloniam confugiunt, quæ pro Chriſto martyrium dentium ſuſtinuiſſe legitur; ſic peſte infecti Sanctum Rochum, qui & ipſe eo malo aliquando correptus fuerat, in patrocinium accipiunt & venerantur.

Quod verò Eraſmus dicat Sanctos, & præcipuè B. V. ob negotiorum multitudinem, infinitis ſe invocantibus, uno eodemque tempore præſto eſſe non poſſe, frivolum nimis, & futile eſt, quis enim credat Sanctam Virginem noſtris precibus fatigari, tædioque affici, cur non item Deus fatigetur, qui omnibus momentis huic univerſo ſimul & ſeorſim providet, cur ſol non fatigetur, qui nunquam intermiſſo ſtudio, ab ortu properat in occaſum, cur Angeli non fatigentur, qui in miniſterium hominum creati, ultrò citroque commeantes nobis inſerviunt; ſunt enim Angeli, quibus integra incumbunt regna, ut Angelo illi Regni Perſarum, de quo Dan. 13. imò major pars mundi, ut S. Michaeli, cui tota incumbit Eccleſia, & tamen de hac adminiſtratione non querulantur, gaudio potiùs, & honori ſibi ducunt, ſi eoſdem dignamur precibus noſtris in ſuffragium cooptare, nam

Regia crede mihi, res eſt, ſuccurrere lapſis.

Sequuntur jam Hiſtoriæ ab anno 1600. quæ enim mirabilia dictum annum præceſſerunt, ea Vulcanus unà cum Monaſterio abſumpſit, quanquam & ab eo anno plures tranſiliendi ſint, non quod nil interea contigerit, ſed forte nihil annotatum ſit. Scribo autem uſque ad annum 1670. unam ſaltem hiſtoriam pro eo anno inſerendo, etſi complures præ manibus habeantur, ſed conſulto à me omittuntur, ut qui poſt me ſcripturus eſt, habeat unde ab integrà decade incipiat. Cæterum PROTESTOR me juxtà Bullam URBANI VIII. Anno 1625. 13. Martij & 1631. 5. Junij emanatam, hæc omnia non altiori fide referre, neque accipi velle ab alijs, quam purè humanà.

* * *

§. 1.



§. 1.

Mortua reviviſcit.

1600. PUella erat cujus nomen ignoratur ex Silinich, quæ pannos forte lotura, aquis ſe nimiùmtemeraria concredidit, ita ut fallente greſſu abſorpta, integro trihorio ſub ijſdem latuerit: nunciatum hoc vicinis parentibus, quorum hoc unum erat flere, filiam ſub aquis quærere, proximùm deinde inventam ſepelire, hoc enim ſuadebant circumſtantes, hoc exigebat mortis conditio, hoc deſiderabat officioſus parentum amor erga filiam. At non ſic illi: ſcimus ajunt Matrem Viventium in montibus Zagrabiæ vicinis, illuc filiam noſtram deferemus; novit illa admirabili quadam praxi, multo jam tempore obſervata, mortuos vivificare, vitam illa dedit huic mundo pariendo Jesum, vitam etiam filiæ noſtræ dare poterit rogando Jesum, nec mora; miſerandam Neptuni victimam curru ad Mariam Remetenſem devehunt, ipſi funus utrinque ſtipant, ad aram Thaumaturgam deponunt, preces fide, & ſpe prægnantiſſimas, pro exanimi filia effundunt, dona etiam pro facultatibus ſuis offerunt. En mirum! ter mirum! defuncta ocu-

Digitized by Google

oculos aperire, circumſpicere, ſe ipſam mirari, parentes agnoſcere, ingenua ſe erigere, & ipſam demum vitæ ſuæ venam magnificare Mariam; ſtupentibus cunctis, qui aderant. Merito D. Bernar. ſerm. 2. Pentecoſt. *O Maria! ait, quis tuam in homines benignitatem ſatis deprædicare queat, quæ omnibus omnia facta es, in te Angeli lætitiam, juſti gratiam, peccatores veniam, in te oculi totius creaturæ merito reſpiciunt, quoniam de te, & in te benigna manus Omnipotentis Dei, quos creaverat recreavit, & quos mori juſſerat, ſæpius reſuſcitavit.*

§. 2.

Alius ad vitam revocatur.

1609. Simile prodigium accidit cum Puero, qui fatali oppreſſus morbo, è viventium tabula expungitur, vident Parentes filium exanimem, nimio compaſſionis ſenſu expalleſcunt, queruntur apud communem mortalium Advocatam, per injuriam ſibi filium immaturâ morte ablatum; & quid? fecerunt quod ſuaſit amor in filium, pietas & fiducia in Mariam, curriculo pignus ſuum imponunt, Remetam advehunt, ſingultus repetunt, obteſtantur per omnes gratias, ut quæ eſſet Mater viventium, nato denato alterum inſpiraret ſpiraculum vitæ, habituram ſe eandem nullo non tempore à ſuis obſequijs. Sabbatum tunc magnum erat, quod & Sanctum appellare ſolemus, paſchæ pervigilium, & aniverſarius dies, quo ipſa Virgo Unigenitum ſuum ſepulchro conditum, olim deplorarat: meminerat quantis illa, tunc filij vitam deſideraverit votis, & ideo alienæ calamitati compatiens puerum redivivum ſuis reſtituit genitoribus, attonitis miraculi novitate omnibus qui aderant, & Deum in ſua Matre glorificantibus. Dubitare poſſes majori ne gaudio perfuſi fuerint Parentes ipſo ſabbatho ob filium reſuſcitatum, quam in ſequenti feſto Paſchatis ob Servatorem redivivum. Rectè verò die ſabbathi tam grande prodigium orbi Sclavonico innotuit, dies enim hæc, cum uni Virgini Mariæ ſacra ſit, multus ei honor merito impenditur; & Chriſtus ipſe, ut hunc Matris ſuæ diem præ cæteris altius veneraretur, complura omnipotentiæ ſuæ ſigna edidit. Sabbatho curavit miſerum illum habentem manum aridam, Matth. 12. ſabbato fœminam obſeſſam à Dæmone & 18. annis inclinatam ab infirmitate liberavit Lucæ 13. Sabbato Hydropicum ſanitati reſtituit Lucæ 14. Sabbatho hominem langui-

Digitized by Google

guidum, qui 38. annis ad piſcinam morbidus jacuerat, ſanavit. Joan. 5. Sabbatho reſtituit cæco viſum, Joan. 9. Et fluvius ille Sabbathicus, de quo Plinius *Lib. 31. cap. 2.* tota olim ſeptimana fluebat, excepta die ſabbathi, quâ ad fundum uſque exſiccatus videbatur, poſtea tamen ut ſcribit Joſephus *Lib. 7.* de bello Judaico *cap. 24.* ipſo ſabbatho quovis, largiter exundabat, ab ea videlicet die, qua Sanctiſſima Deiparens juxta Doctiſſimorum Virorum opinionem, in utero Annæ concepta fuit: volens hoc tam inſigni miraculo Deus oſtendere, quantis Maria miſericordiæ rivis, die illa orbem eſſet irrigatura univerſum.

§. 3. *Moribundus ad ſe redit.*

1613. ANnus erat Nati Emanuelis 1613. die itidem 13. menſis Martij, in ipſa Dominica oculi, cum puellus quidam Andreas, Joannis Bereczki filiolus, ceu floſculus, fatalem mortis falcem ſubire debuiſſet. Quid Pater? injuriam ſibi fieri queritur, mortem violentiarum arguit, conatum ejus intempeſtivum, ad Reginã Cœli Terræque Mariam, quæ Thronum ſibi gratiarum in Eremo Sclavoniæ erexerat, defert, filium, tanquam immaturum mortis ſpolium periculo eripiendum poſtulat; munera, & ſexcenta obſequiorum genera ſpondet, ſimul candido Paulinorum habitu ſe filium per biennium veſtiturum promittit, ſi Patronam experiatur Mariam, in cauſa præſertim tam dubia: Bono animo mi vir Patronam quæris, ſimul & Matrem reperies; *pietate enim* ut ait Rich. à S. Vict. cap. 23. in Cant. *repleta habet ubera, quæ alicujus miſeriæ notitia tacta, ſtatim lac fundunt miſericordiæ, nec poteſt miſerias noſtras ſcire, & non ſubvenire.* Jubet ergo filium Patri relinqui, jubet Andream à vinculis mortis ſervari indemnem, quis hoc credat? Teſtimonium ipſius Patris hic apponerem manu ſua corroboratum, ſed omitto, ne prolixus tibi videar.

§. 4. *Maligni Spiritus pulſi.*

1620. MUlierem quandam Orciniani ſpiritus, domi ſuæ infeſti, plurimum afflixerunt, noctu potiſſimum, amant enim tenebras, Principes tenebrarum, & quia turbatores quietis ſunt, ſomno eam indulgere, multo tempore non permiſerunt, tentatam ſe uarijs modis jurejurando aſſerebat, quæ illa tentatio fuerit, Marianus, & Virgineus Lector cogitatione ſua potius, quam meo calamo aſſequatur, talis forte quæ caſtitati conjuga-

Digitized by Google

jugalis thori adverſabatur. Sed Lenones impuri, qui quæſierunt in muliere illa Helenam, repererunt Lucretiam: noluit illa tale conjugium, ex quo non niſi monſtroſus, iſque mortuus partus, peccatum nimirum mortale, monſtro omni deformius expectaretur, ſed quomodo abigeret procos tam potentes ad vincendum, tam impotentes ad generandum, virum ne vocaret in ſubſidium, non videbatur illi hoc ex æquo; effæminati enim cum eſſent, haud virili manu cedendos dignum æſtimabat: *Mulierem* ergo invocavit *Fortem*. Mariam dico in ſtatua Remetenſi mirabilem, *hac procul, & de ultimis* cœlorum *finibus*, momento advolans, *accinxit fortitudine lumbos ſuos, roboravit brachium ſuum; illico robuſtos Moab obtinuit tremor, confuſi ſunt nec potuerunt ſtare.*

§. 5. *Cæco lumen reſtituitur.*

1626. QUale gaudium homini, qui in tenebris ſedet, & lumen cœli non videt; expertus hoc erat vir quidam, prænotato anno, qui unius anni ſpacio, oculorum beneficio deſtitutus, in tenebris, & nocte verſabatur, nilq; aliud ſomniabat, quam illud ipſum *Domine ut videam*; vidit certe, & gaviſus eſt, ut primum Remetam ad fontem luminis, Mariam, quæ ipſum juſtitiæ ſolem in ulnis gerit peregrinus acceſſit. Recte D. Bonavent. *Maria eſt Illuminatrix plurimorum per exempla lucidiſſima vita ſua, ipſa eſt, cujus vita glorioſa lucem dedit ſaculo, ipſa eſt cujus vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias, oret ergo fidelis anima, & dicat, quoniam Tu illuminas lucernam meam.*

§. 6. *Dentium dolor mitigatus.*


1630. QUantus ſit dentium dolor, è lamentis eorum conjicere licet, qui eo malo vix non cum Hercule furunt, cum Oreſte inſaniunt; Fatentur hoc Perſonæ nonnullæ, utriuſque ſexus; quæ cum nec allij ſucco, nec aceti acrimonia dolorem illum oſſeum propulſare poterant, aliud lenimen quærunt, ad Pharmacopæum Remetenſe peregrinationem inſtituunt, ſuaviſſimum Mariæ nomen ingeminant, ante aram Thaumaturgæ ſupplices provolvuntur, dentibus ſuis medelam deprecantur ab ea, quæ à ſerpentis dente, in origine ſua fuit immunis, & ecce nomen illud, omni allio, & aceto efficacius fuiſſe experiuntur; quid mirum? *Favus diſtillas labia eſt nomen Maria, omnia amara dulcia fiunt* ait Tho. Kemp. *gravia omnia levigantur, cum pia Matris nomen, ad cordis intima penetrat, ſi quis hæc probare voluerit frequenter de ea cogitet, loquatur, legat, cantet, & oret.*

Digitized by Google

§. 7. Confracta manus redintegratur.

1633. Virorum non nemo maleficio, vel infortunio caſuali, neſcitur, manum circumtulit planè confractam, & promerendo pani, quo miſer ille in ſudore vultus ſui veſci ſolebat, omninò inutilem, abſciſſionem merebatur illud membrum, quid enim? nam *immedicabile vulnus, enſe recidendum, ut pars ſyncera trahatur*; verum leviora ille è cœlo, imò ex Eremo Remetenſi remedia præſtolatus, ad Mariam ſe convertit, cujus oculi in pauperem proſpiciunt, obteſtando, faceret illa eandem ſecum miſericordiam, ac olim cum B. Joanne Damaſceno, cujus dexteram, à Leone Iſauro Iconoclaſta præciſam, trunco brachij iterum adaptaverat, futurum ſe tanti beneficij nunquam non memorem, ſimul peregrinationem ſpondet, mox etiam exequitur, mirùm! vix votis ſuis finem impoſuit, illico initium expertus eſt ſanitatis, manum enim quam fractam domo extulerat, integram ſic retulit, ut functionibus ſuis nunquàm deinceps ſenſerit contumacem. *Non poteſt non compati miſerijs noſtris Miſericordia Mater, ait Hier. Nul-lum enim in hac vita adeò pœna torſerunt propria, ut Mariam aliena.*

§. 8. Captivus è Turcia liberatur.



 1636.

1636. ERat è Caſtris Chriſtianorum miles, qui tentata ſæpius cum Turcis fortunâ, frameam habuit multorum capitum à ſe reciſorum teſtem, imò ream, tandem vertente ſe belli alea captus ipſe, pro dignitate mancipij exceptus eſt, vinculis enim manus pedeſq; innexus, obſcuro juxta ac graveolenti carceri, ſine omni ſtrato includitur, arido ſolùm pane, & aqua, eaque ad menſuram victitare coactus, interdiu etiam abjectiſſimis laboribus, ut bajulatione lapidum, egeſtione humi, diſtentus, palis ligonibuſque ſervitutis inſignibus, non tam ornatus, quam oneratus inceſſit, redeunte verò veſpere, ab exactore ſuo non nunquam flagris, baculis, & nervis in duriſſimi laboris præmium probe contuſus, intellexit non ſine lachrymarum profluvio, vitam ſe vivere omni morte duriorem, quid faceret? Dominos ne obſecraret, mitius ſecum agerent? gratis hoc ab illis petitur, qui religioni ſibi ducunt in Chriſtianos eſſe crudeles; fugeret, ſed quo? & qua ratione? conſtrictis gravi ferro pedibus, tandẽ collectis in unum ſenſibus, quid olim viderit, quid audierit de B. Virgine Remetenſi, ſerio diſcutit, hanc deniqùe unam Ariadnam eſſe poſſe, quæ ſe velut Theſeum, è labyrintho captivitatis, filo miſericordiæ ſuæ educere queat, intelligit. Ergo hanc, & ſexcentis votis, & mille ſuſpirijs in ſubſidium advocat: ô Maria ait, ſcio vides me toto corpore Tibi ſupplicem, in terra aliena, quid à Te velim, non tam ex verbis ſingultibus interceptis, quam ex meis ſuſpirijs, ex vinculis, ex emaciato, ſquallidoque inedia corpore, intelligere potes: duram hic ſervio ſervitutem! ah libera me! nam velle potes, & ſi vis fiet, Tu quæ totum genus humanum è dura dæmonis ſervitute eduxiſti, me quæſo è barbara plurium annorum captivitate ſolutum abire ſine, quod ſi feceris tranſibo in captivitatem tuam, & habebis me ad ſervitia tua, mille vinculis obſtrictum mancipium. Pondus habuerunt hæ voces. Nam miſer ſolutis compedibus, arbitris nihil tale ſuſpicantibus, evaſit in libertatem, & ſuperatis viarum, inſidiarumque infinitis prope difficultatibus, Remetam ſalvus appulit, & liberatrici ſuæ copioſa lacrymarum teſtificatione, grates rependit, non immerito Bernar. ſerm. ſuper miſſus *Per te ô Maria franguntur vincula, ſolvuntur debita, vincuntur vitia. & alibi: de tua plenitudi ne accipiunt univerſi. Captivus redemptionem, æger conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam.*

§. 9. *Pedis Dolor curatus.*

1640. INter membra humani corporis licet infima ſit pedum conditio, eorum tamen uſus, magno cedit homini beneficio, fundamentum enim cum ſint ſtructuræ corporeæ, ipſis non bene firmatis, male quoque ſtet, quidquid eis ſuperædificatum fuerit, neceſſe eſt. Hinc Egregius Bernardus Montey civis Zagrabienſis, ut pedibus ſuis, quibus curandis inferior ſemper erat Chyrurgorum ars, & induſtria conſultum iret, Virginem Deiparam in ſubſidium invocat, pedem argenteum vovet, & ſiquidem curatus fuerit, ſpondet primitias greſſuum, ſe eidem ad Remetenſem ſtatuam conſecraturum: Audijt hæc Maria, & paulo poſt claudum fecit abjectis fulcris liberum incedere, teſtemque eſſe, ac præconem accepti beneficij. Ad rem S. Anſelmus. *Non eſt Maria exoratu difficilis, quia ejus Filius, illi eſt ad concedendum, quidquid volet, promptiſſimus, tantummodo igitur velit ſanitatem noſtram, & nequaquam ſani eſſe non poterimus.*

§. 10. *Cæcus Illuminatur.*

1641. JUvenis quidam, ex Xenodochio Montis Græcenſis, Bartholomæus Unchina, quinque annis, noctem in oculis circumtulit, quaſi indignus lumine ſolis, ergo ad eam, quæ *pulchra* eſt *ut luna*, ad Mariam inquam, in effigie Remetenſi celebrem, ſe convertit, & illuminatus eſt. Non minùs nos mortales omnes in tenebris ambulamus, quid enim eſt vita noſtra, niſi ut ait Job. *terra tenebroſa & operta mortis caligine*; quare face nobis opus eſt, nempe Maria, hanc enim, *qui ſecutus fuerit non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.*

§. 11. *Juveni pedibus laboranti ſubvenitur.*

1644. STudioſus quidam Zagrabiæ Jacobus Juriſſevich (eſt ille idem, qui nuper Patribus loci illius ſacri, titulo Vicarij præerat) neſcio, quâ ſorte humani infortunij per annum fere medium inexplicabiles dolores in pede altero patiebatur, ejuſque uſu totaliter caruit; tandem congeries illa dolorum erupit, factis in pede ulceribus multis, & magnis, quibus cum humana remedia, ſat diu tentata nil prorſus profuiſſent, ſicut nec Chyrurgorum labor, adeò ut ſi in loco uno ſanabatur ulcus, in quatuor, aut quinque alijs, alia erumpebant: & ſic plus quam per annum integrum ludebat in eo

Digitized by Google

potentia divina. Quid tandem miſer juvenis ageret, ignorabat, eo maxime tempore, quo de mutatione ſtatus deliberaret, nec vota explere liceret, ob tam grande impedimentum. Ad Pharmacopæum tandem Diviniſſimæ Virginis Mariæ Remetenſis ſe contulit, ubi fuſis precibus totum ſe Beatiſſimæ Matri commiſit. Nec fruſtrà: nam paulò poſt ulcera omnia ſic contrahebantur, ut ſe ipſum non caperet. Quare ut oſſa quoque tandem ſua liceret deponere in gremium tam miſericordis Matris, voto Religionis ſe ſe obſtrinxit, quod & exoluit. Hæc ille ipſe manu propria ad verbum conſignavit, ad annunciandum alijs miſerationes divinas. *O vere magna Maria miſericordia* ait D. Bernar. in ſpec. B. V. Lect. 10. *in omnes qui invocant illam. Magna quidem fuit erga miſeros miſericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo, ſed multò major erga miſeros eſt miſericordia ejus, jam regnantis in cœlo.*

§. 12. *Uſus Pedum reſtituitur.*



1644. Virgo quædam Turopolenſis, tibiam curvatam habuit, quam etiam ſic vitiatam, materno traxit ex utero, & quia inutile illud membrum, maximo pauperculæ ſtetit in commodo, cum à fortunis curam pedis auſpicari non poſſet, altiora meditatur: itineri itaque curvo licet pede, erecto

erecto tamen animo ſe accingit, Remetam verſus proficiſcitur, oratura communem omnium miſerorum advocatam; Et ecce dum Savum amnem trajicit, tibiam advertit ſuo jam loco reſtitutam, miratur rectos ſe facere jam poſſe greſſus, quis miſella hac lætior? Ut ergo gratam ſe exhiberet, primitias bonæ ambulationis Curatrici ſuæ obtulit, reliquumque viæ, Remetam facile abſolvit, ibique Patribus loci illius ſacri, magnalia magnæ Matris, infacundo licet ſermone, pia tamen congratulatione ennarravit. Magna profecto Mariæ liberalitas, quæ voto peregrinationis, nec dum abſoluto, clientem ſuam prævenit, & gratiam elargita eſt. Veriſſimum nempe illud ſap. 6. *facile videtur ab his, qui diligunt illam, & invenitur ab his, qui quærunt eam, verè præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat.*

§. 13. *Dolores Sciatici abacti.*

1644. BErnardus Montei Civis Zagrabienſis, is ipſe, qui non ita pridem ambulandi beneficium à Remetenſi Deipara obtinuerat, audacior dein factus, ubi ſciaticis, coliciſque doloribus, miſerrimum in modum ſe gravari perſentiſceret, ut corpus nullum in latus flectere, vel erigere quiviſſet, voto ad Eremitanam Virginem emiſſo, altera ſtatim hora, ut ipſe, aliique teſtati ſunt, à cunctis illis doloribus, ope Mariana immunis efficitur. Grande miraculum, tam cito liberari. Non tardat Maria auxilium. Unde nonnemo illam ſic inclamat.

Feſtina miſeris miſereri Virgo beata,
Nam ſi Te recolis miſeri fecere beatam;
Ergo bea miſeros, quorum te cauſa beavit.

§. 14. *Vita periclitanti ſuccurritur.*

1649. SPectabilis, ac Adm. Rever. Dominus Georgius Rattkay, Almæ Eccleſiæ Zagrabienſis Lector, Orator Illyrij, ad Centum-viralem Pannoniæ Senatum, Poſonij celebratum, anno ut præfertur ab legatus primum varijs infortunij periculis, ſuperatis, vitæ deinde diſcrimen inſperato adijt, intercluſa reſpirandi facultate, & ſive curru vectus, ſive pedeſter incedens, vi mali nil remittente, jam penè exanimabatur: tum conſcenſo equo, ad Pijſſimam Remetenſem Mariam ſingulare afflictorum Refugium, voto nuncupato, quaſi obdormiſcit, & repente depulſa intimi doloris moleſtia ſanus, ac hilaris Sopronium adequitat, inde Poſonij Comitijs intereſt, vege-

Digitized by Google

vegetuſque omnium comitantium admiratione domum revertitur. Hæc fere de verbo ad verbum ex tabula votiva, quam anathematis loco, honori Mariano, ante Aram Miraculoſam devotus cliens appenderat. Viatores & nos ſumus in hac vita, properamus ad Angelorum in cœlis comitia, ſed heu inter itinerandam ſæpè laſſamur via iniquitatis, ambulamus vias difficiles, in labyrinthos errorum, in præcipitia peccatorum incurrimus: vix reſpirare poſſumus, è fatigio rerum terrenarum: incolatus noſter adeò prolongatus eſt, ut Patriam reperire haud poſſemus, niſi Maria velut Ariadna filo gratiarum ſuarum, ex hoc mundi labyrintho nos educeret.

§. 15. *Lumen oculorum redit multis præſentibus.*



1649. SOlis Eclypſim cauſari ab interpoſitione Lunæ, docent Aſtronomi, contrarium experta eſt Helena Lovenchich, ex Prerovecz, oriunda, quæ ſeptennio eclypſim in ſole oculorum ſuorum paſſa, nihil luminis habebat reliquum, at mox, ut Luna Mariana ſeſe interpoſuit, eclypſari deſijt. Et certe res ſtupenda accidit, die enim, qua Eccleſia Aſſumptæ in cœlos Dei Matris recoleret memoriam, ſub ipſa concionis hora præſente maxima populi peregrinantis frequentia, Helena dicta, ante aram Thaumatur-

Digitized by Google

maturgæ Virginis Remetenſis proſtrata, viſum accepit. Vix quiſpiam præſentium aderat, qui lachrymas lætitiæ ſpiritualis indices, non profunderet. Tanti eſt miraculum oculis cernere. Non incongrue Bernard. ſerm. ſuper miſſus *Tolle* ait *hoc corpus ſolare quod illuminat mundum, ubi dies erit? Tolle Mariam maris ſtellam, quid niſi caligo involvens, & umbra mortis, atq; denſiſſima tenebra relinquentur?*

§. 16. *Morbus exitialis curatus.*

1653. FIlium habuit Michael Ponikuar, Civis Zagrabienſis, graviſſimo eoque extremo morbo oppreſſum: Mors ſpiculo fatali armata, jam illi feretrum, & tumulos minabatur, at non timuit haſce minas mæſtiſſimus Parens, non immemor, ſimilia mortis terriculamenta, à Maria non ſemel exinanita: ut primum ergo vitam filij ſui, Eremitanæ ſtatuæ devoviſſet, mortem ſuis cum minis, quam longiſſimè domo ſua exulem vidit, redeunte interea, quæ aliquamdiu aberat, tot votis exoptata filij ſanitate: Verè Maria ut ait D. Bonaven. in ſtimulo Amoris §. 3. c. 19. *Regina eſt miſericordia quia non eſt in hac vita ſic deſperatus, ſic miſer, & infirmus, cui non impetret miſericordiam ſalutarem, ſi ad ſuum declinaverit regimen.*

§. 17. *Mutus cæcus & ſurdus curatur.*

1654. AStuta vulpes, ut à multiplici pulicum morſu ſe eliberet, quid facit? Virgulam ore capit, ad aquam deinde, à poſteriori ſe immergit, paulatim tamen, uſque ad caput, tandem uſque ad nares, ut nil jam extra aquam de vulpecula, niſi ſola virgula ore retenta videatur, interea verò pulices ſemper à madefactis partibus recedunt verſus ſiccas, quouſque omnes naſo inſideant, ſed & naſo paulatim immerſo, pulices ubi refugium aliud adeſſe non ſentiunt, virgulam occupant, quo facto, vulpes beſtiolis mortificantibus liberata, aquis lætiſſima exilit. Vulpem imitatus eſt vir quidam nomine Michael ex pago Velika dicto, hic moleſtis valde miſerijs velut pulicibus infeſtatus; mutus enim erat, cœcus, & ſurdus, quo ſe verteret omnem in partem proſpiciebat, tandem ſaniori ductus conſilio virgulam illam, quæ egreſſa eſt de radice Jeſſe, Mariam intelligo, in ſtatua Remetenſi admirabilem, apprehendit, cujus beneficio à pulicum illorum moleſtijs liberatus, poſt hac & loqui, & audire & videre potuit: hoc ipſemet ſeptima Martij præfato anno, in loco ſacro, quo ſe gratitudinis cauſa contulerat, pia congratulatione teſtatus eſt. *Vere Maria*, ut ait B. Ephrem *Virga Moyſis eſt, tot morborum quot, ſerpentium Devoratrix.*

§. 18. *Infirmitas longa curatur.*

1656. GEorgius Ruska, ex pago Urabcze, triennio integro ab infirmitate gravi ſic captivus detinebatur in lectulo, ut pedibus quaſi compeditus, ne ſtare potuerit, plumeus quidem erat hic carcer, ſed omninò plumbeum experiebatur, quare ut in libertatem tranſiret, omnes affectus ſuſpiriaque in unum coacervans, Mariam Remetenſam iterum, iterumque rogavit, faceret quod piæ Matris eſſet officium, ac ſe juvaret. Fecit: nam ut primum ſe voto obſtrinxit, auxilio adfuit, ſanitatem impertijt, vitam reſtauravit. Quanta rogo veneratione digna eſt, hæc Almi Mater numinis à qua ſola, poſt Deum indigentia noſtra expleri poteſt, infirmitas curari, dignum profecto ſuadente mellifluo ejus Amaſio ſerm. de Nat. Dom. *ut totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

§. 19. *Dolor pedum abactus.*

1657. OFficialem habuit in Vugrovez, Reverendiſſimus D. Petrus Petretich Epiſcopus Zagrabienſis, nomine Matthæum Gallovich, hic pedum officio deſtitutus, medium annum dolore nimio ſic traduxit, ut ſpes omnis in Medicis, & Chyrurgis ſuccollata, burſam ex diuturna nummorum profuſione ad rugas emaciarit: Quid incipiendum? ipſe neſcijſſet, niſi eum memoratus Præſul de emittendo voto, ad effigiem Remetenſem commonuiſſet, quo facto, ſenſim ſine ſenſu, pedes ad officium rediere; & ipſe poſtea in grati animi ſignificationem, locum gratiarum adiens, hæc ipſa plauſu ſolenni Patribus evulgavit. Heu quot reperiuntur, in utrumque partem claudicantes Peccatores, qui pedibus gratiæ efficacis deſtituti, viam mandatorum Dei currere non poſſunt, talem ſe ex humilitate dicebat eſſe Sapientiſſimus Idiota, de Contempl. B. V. c. 1. & ideò Virginem Benedictam inclamabat: *Trahe me poſt te ô Maria, quia retinet me peccatorum ponderoſitas, trahe me torpentem, ut me reddas currentem, trahe me peccantem, ut me reddas pœnitentem, trahe me ignorantem, ut reddas ſcientem, ut curram in odorem unguentorum tuorum.*

§. 20.

Digitized by Google

§. 20. *Colici dolores propulſati.*

1658. NObilis & honeſta Matrona Eva Waiſin, conſors D. Georgij Sellegovich, Generalis Varaſdinenſis Interpretis, ipſis ſedecim annis, colicis doloribus, alijsque gravibus viſcerum corroſionibus infeſtabatur; nihil in tota Medicorum ſcientia, nihil in Pharmacopæorum induſtria, ſpei repoſitum erat: Ad Mariam itaque Apothecam omnium gratiarum, ut eam appellat D. Bernar. apud de Buſto. p.7. ſ.5. in quam cæleſtis pigmentarius, ſe ipſum cum omnibus ſuis unguentis collocarat, & in qua indubia gratia ſanitatum reperitur, ſe præfata Eva contulit, Remetenſem ad aram ſupplex, voti formulam concepit, piacularibus dein reficitur Sacramentis, filium per Matris amorem, Matrem per filij pietatem, efflictim deprecatur, ſuccurrerent ambo infirmæ famulæ, ſi ita eſſet ad utriuſque beneplacitum, & honorem, ſin minùs largirentur patientiam in adverſis, ſolamen in doloribus, paratam ſe quidem fore ad utrumque, cæteris tamen paribus, malle ſe ſanitatem, cum qua Deo ſervire, quam perpetuam ægritudinem, cum qua nec homini prodeſſe, nec ea quæ hominis ſunt, rite exequi valeret. Annuit Deus, & precibus unicæ Matris ſuæ, Evam de cætero doloribus illis liberam pronunciavit, ut ipſa hæc oris ſui confeſſione roboravit. Ridendi merito, qui longiori ſæpè tempore infirmitatibus gravati, cum ne unciam ſanitatis è ſorbitiunculis, & catapotijs, alexipharmacis, & amuletis extorquere poſſint, hanc tamen Apothecam ſacram accedere reformidant cum nihil amari auſteri nihil, in eadem reperiatur, hos redarguens D. Bernard. ſerm. ſuper ſign.mag. factus ex hac Apotheca & ipſe mellifluus: *Quid inquit ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuavis eſt, omnibus offerens lac, & lanam. Revolve diligentius Evangelicæ hiſtoriæ ſeriem univerſam, & ſi quid forte increpatorium, ſi quid durum, ſi quod deniq; ſignum, vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero ſuſpectam habeas & accedere verearis.*

§. 21. *Cæca illuminatur.*

1658. CAtharina Groſeuska, trium ſeptimanarum ſpacio excæcata, ſimulachris Deorum non impar, oculos habebat & non videbat, ne tamen ijs etiam ſimilis eſſet, qui os habent, & non loquuntur, invocavit Mariam, pro conferendo ſibi videndi beneficio. Videte rem miram! vix Catha-

Digitized by Google

Catharina, poſtpoſitis Galeni, & Æſculapij conſilijs, medicam à Remetenſi Pharmacopæo opem efflagitavit, mox flagitatam obtinuit, obtentam gratitudine quadam, una videlicet peregrinatione, & bina Sacramentorum perceptione exoluit; magnalia hæc deinde præſentibus Monaſterij Patribus publicè ennarravit: Et merito nam etiam cœli ennarrant gloriam Mariæ, quod enim ſolis lunæ ſtellarumq; micantium beneficio noctu videant, & videantur Mariæ referunt in acceptis, quæ ait, Eccleſ. 5. *ego feci ut oriretur in cœlis, lumen indeficiens.*

§. 22. *Partus doloribus liberata.*

1659. EVæ peccatum fecit, ut Matres poſt hac in doloribus pariant filios; ſed quæ peccato illi non conſenſit Maria, hos dolores, uti in partu ſuo non incurrit, ita & ſua interventione puerperas alias, ab ijſdem liberare poteſt, quod fecit præſenti anno, cum tres mulieres, Margarita Uranoricska, Dorothea Polianka, & alia quædam nomine Barbara Poſſaviana, partus doloribus ita conterritæ fuiſſent, ut vel Lucina ipſa, nihil opis periclitantibus adferre jam potuerit, maximè cum Dorothea etiam hydrope affecta, duplici perdendæ prolis periculo laboraret. Ut primum autem Eremitanæ Virginis ſubijt recordatio, ejuſque ſe patrocinio, adjecta ſponſione faciendæ peregrinationis, comiſiſſent, mox fœtus ampliùs in Matris peccare prohibiti, ſine ulteriori dolorum irrogatione uterum reliquerunt.

§. 23. *Lethaliter ſaucius ſanatur.*

1659. NUlla Ruſticis bellicoſior natio, ubi vino incaluerint, fortè de lana caprina Stubiczenſes inter Colonos exortum diſſidium, penè viciniam in ſpectaculum evocavit. Hos inter turbulentior nonnemo Thomam Kraynicki cultro in latera adacto mori juſſerat, ſed ruſticum hoc erat mandatum, non paruerunt fata; ſervatur in vivis; moriturus tamen certo ni remedium quæratur è prodigio; jam loquela ſaucium ferè defecerat, ſanguini, & animæ aperto vulneris oſtio, liber patebat egreſſus, cum ecce Maria Remetenſis, à Thoma ardentiſſimis precibus, in præſens rei diſcrimen evocata, ſubitaneo adfuit auxilio, & vulneratum in fuſo in plagas miſerationis oleo, velut pia Samaritana ſanavit. Ah quoties peccator ab inimicis humani generis tentatione dejicitur, peccato lethali graviſſime vulneratur, quid faciat, tumulo inferni jam jam ſepeliendus? Clamet cum Idiota de con-

Digitized by Google



templ.B.V.c.6. *O benigniſſima Virgo Maria, ego perverſus, & iniquus peccator, me tentatum ſentio, & proſtratum ab inimicis, quibus in multis peccatis conſenſum præbui, adjuva me deperdita gratiæ recuperatrix, & da mihi patientiam in tribulationibus, victoriam in tentationibus, & pœnitentiam de commiſſis. Impetra veniam de præteritis, tribue in præſentibus cautionem, præſta in futuris, adverſus omne malum fortiſſimam reſiſtentiam.*

§. 24. *Spectra Infauſta propulſata.*

1659. VIr quidem, nomine Paulus Valenchich, diu noctuque, & domi, & foris præſtigia, & malorum geniorum terrores perferre cogebatur; terribile erat deterrima inferni monſtra oculis contueri, ſignabat frontem cruce, luſtrali ſe muniebut aqua, & fugabantur quidem hiſce armis, verum ut muſcæ poſitis flabelli minis, iterum redieruut. Alio hic, & fortiori opus erat ſtratagemate ad hoſtes à ſe propulſandos; Maria adeſſe debuerat, hanc enim ut Tho: à Kemp. ait: 3.p.ſ.4. *Expaveſcunt ſpiritus malgni, & diffugiunt audito Nomine Sancto ejus, velut ab igne, horrent Sanctum & terribile Nomen Mariæ, tanquam tonitru de cœlo factum, ſic proſternuntur, ad Sanctum Mariæ Vocabulum, & quo ſæpius illud profertur, eo citius, & longius* ipſi

Digitized by Google

ipſi fugantur. Igitur & Paulus hic noſter, invocato Nomine Sacroſanctæ Mariæ Eremitanæ, multis titulis obligatum ſe reddidit, ſi à negotio hoc perambulante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio hoc meridiano liberaretur: nec invanum; adfuit enim Maria, & velut Caſtrorum acies ordinata, concidit à facie ſua inimicos ſuos, & odientes eam in fugam convertit, nunquam deinceps redituros. Similia malignorum ſpirituum terriculamenta, circa idem fere tempus experta eſt, Margaritha Iellakovich, cum duabus ejuſdem cognominis mulieribus, nam diu, noctuque, hæ Larvæ infernales, oculis timidiſſimi ſexûs obverſabantur, donec ope Remetenſis Divæ, profligatæ ſunt.

§. 25. *Pedes Curati.*

1660. HOc ipſo anno, qui alijs ab hinc ſplendore mirabilium clarius fulſit, plures Perſonas, ingentibus pedum doloribus liberatas deprehendo, nempè Catharinam Budich, & aliam nominis ejuſdem Puellam, uti & Andream quendam Poſſavianum, Michaelem item Milchich ex Berdovecz, quorum iſte putore graveolentiſſimo, & verminum ſcaturigine, jam de pede amittendo periclitatus, cum totam ſanitatis ſpem, in Mariæ Remetenſis Patrocinium collocaſſet, opinione ſua haud quaquam defraudatus, expertus eſt medicam, quam invocavit Patronam, ut verè cum Martino de Magiſtris dicere liceat; *O Maria nulla eſt calamitas, quam non diſperdas, nullum miſeria genus, quod non divino freta robore, prorſus avellas. §. in Sal. Reg.*

§. 26. *Calores mitigati.*

1660. HIs affectæ erant duæ Perſonæ, Helena Graſſavich, ex Keresztinecz, & Suſanna Dunkanich: & iſta quidem, eorum vehementia ſic obruebatur, ut rotula juſtæ rationis è ſtatione ſua ſe moverit, totumque mentis horologium perturbatum fuerit, verbo inſanijt: Nemo erat, qui emotæ mentis miniſterium poſſet reparare, venit tandem ſub dilucidis intervallis, in memoriam Remetenſium Auxiliatrix, hanc mille votis, utraque flexit in ſui patrocinium, nec reſpuit pauperum preces Regina cœli, ut primum enim, ſub gratioſam Pallij ſui umbram ſe abſconderunt, continuò à caloribus ſe liberatas mirabiliter expertæ ſunt. Huc omnes quotquot æſtu libidinis ardetis mortales, ſub umbroſum Mariæ Pallium vos abſcondite,

Digitized by Google

jam pridem vidit S. Virgo Gertrudis, occurrere ſub chlamydem Dei Genetricis, beſtiolas diverſi generis, peccatores videlicet immundos, quos benignè ſuſcipiens manu ſua contrectavit, quemadmodum quis blandiri ſolet catulo ſuo ait Bloſius. in Monil. ſpir. c. 1. Uti enim omnia flumina currunt ad mare, & mare non redundat, ſic peccatores omnes recurrunt ad Mariam, & Maria neminem repellit.

§. 27. *Varij morbi abacti.*

1660. GEorgius Spiczko, ne Hercules quidem fuit, contra plures tamen hoſtes Diſſenteriam, Colicam, alioſque internos dolores, ei longo tempore dimicandum erat, tuebantur quidem partes illius Pharmacopæi, arte ſua, induſtriaque, ictum mortis antevertere ſatagentes, ſed & illi viribus impares recedere coacti ſunt. Invocata demum in auxilium muliere forti, Maria inquam Remetenſi, & mortis, & plurimorum morborum tela feliciter triumphavit. *Quis poſt Filium ita Generis humani curam gerit, ſicut Tu Maria?* quærit S. Germ. Or. de Zona B. V. *quis ita nos defendit in afflictionibus? quamobrem is, qui affligitur ad te recurrit, qui injuria afficitur, ad te confugit, qui rebus aſperis eſt implicatus, tuum invocat auxilium.*

§. 28. *Veneficia, & dolor Capitis ſublatus.*

1660. C*Um Caput infeſtat, dolor omnia membra moleſtat;* Experta hoc Martha Mattkovichiana, ex collibus Juanicenſibus, hujus enim vehementia doloris, quem capite ſenſerat, totum corpus tremore horribili concuſſerat, idque ab ipſis incunabilis, ad provectiorem uſque ætatem, nec tamen continuò, ſed ſtatis intra hebdomadam diebus, veneris videlicet, & ſolis, nihil hic, vel ſchola Salerni, vel Galeni vel Æſculapij, aut Hyppocratis præſcriptiones medendo capiti attulerunt remedij, honor curationis ſoli Mariæ Remetenſi reſervatus erat, hanc lacrymabunda Martha in clamans, ô Maria! ait, quæ tuæ Clementiæ gratias, longè, lateq; diffundis, nullum orbis angulum præteris, abſq; quotidiana beneficiorum diſpenſatione, cum totus mundus, de tua loquatut pietate, idque monſtrent innumera in tuis ædibus affixa anathemata: itaque per JESULI tui amorem te rogo! miſerere, & veneficijs, quibus caput meum adhuc in cunis, ad hæc uſque tempora ſubjectum erat, modum pone, dolores mitiga, ſanitatem tribue, habebis hujus beneficij licet infacundam, non tamen ingratam præconem. Peroravit, &

per

Digitized by Google

perſuaſit, nam ab eo tempore, melius ſe ſtatim habuiſſe confeſſa eſt. Denique quid volumus? *Maria omnibus omnia facta eſt*, ait Bernard. ſerm. ſuper ſign. mag. *Sapientibus, & inſipientibus, copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit, omnibus miſericordia ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi.*

§. 29. *Vita periclitanti ſuccurritur.*

1661. QUid miſerius vita humana, tot difficultatibus circumcincta? rectè quidam binis verſibus ſic eam deſcripſit.

Somnus, bulla, vitrum, glacies, flos, fabula, fænum,
Umbra, cinis, punctum, vox, ſonus, aura, nihil.

Edoctus hoc fuerat Michael Koszich ex Nartha oriundus, qui, quod gravi preſſus ægritudine, magnis paſſibus ad fata properaret, aërem veſpertinum ſolito corruptiorem incuſabat. Tribus ſeptimanis captivum lectus detinuit, oculorum nonnunquam, & aurium uſu, & quod potiſſimum, omni etiam humana opè deſtitutum, non tamen Divina, eo enim poſteaquam confugit, ſimulque Mariam in ſui ſuffragium aſſumpſit, interjecto jurejùrando, ſe illius Eremitanam Aram actutùm quæſiturum, illico convaluit. *Solium Divinæ miſericordiæ*, ut ait Bonav. in ſpec. Lect. 9. *eſt Maria, in quo omnes inveniunt ſolatia miſericordiæ, nam ſicut miſericordiſſimum Dominum, ita miſericordiſſimam Matrem habemus.*

§. 30. *Varij morbi abacti.*

1661. REtulerunt Margarita Ptichka Stubiczenſis, Urſula Pozovichiana ex Bukovie Tranſſaviana, Helena Czuetho, & Dorothea Horvatich, ex S. Helena, varijs ſe humanæ vitæ miſerijs, & infirmitatibus gravatas fuiſſe, & prima quidem ab æſtatis initio, in autumnum uſque, ea dixit ſe decubuiſſe morbi vehementia, ut de vita ab omnibus conclamatum fuerit. Aliæ duæ, capitis dolore graviter ſe infeſtatas aſſerverunt. Sed poſteaquam preces voto peregrinationis armatas, ad Virginem Remetenſem tranſmiſiſſent, ejus ſe ope beneficium ſanitatis retuliſſe teſtatæ ſunt. *Quid mirum ô Maria* ait Rich. à S. Vict. c. 23. in cant. *Si miſericordia affluis, quæ ipſam miſericordiam peperiſti, carnalia in te Chriſtus ubera ſuxit, ut per te nobis ſpiritualia fluerent, cum enim miſericordiam lactaſti, ab eadem miſericordia ubera accepiſti, & miſeros alere miſericordiæ lacte cæpiſti.*

Digitized by Google

§. 31. Mortuus reviviſcit.

1661. FRumentum in granario aſſervatum, putreſcit, in terra ſepultum reſurgit, quare non reſurgit ſepultum in granario, ſed in terra? audi rationem. Terra Diaparæ Typus eſt, juxta illud *Aperiatur terra* hoc eſt Uterus Mariæ, *& germinet*, hoc eſt pariat *Salvatorem*. Felix ille defunctus, qui in hanc terram ceciderit, non poterit non reviviſcere. Expertus hoc Jacobus Pericz, ex Buſſiakovina, cujus anima, neſcio quo fato lucis hujus pertæſa, mortuales tenebras ultro ingrediens, quatuor jam diebus, & noctibus viduatum corpus Parentibus in funus deducendum reliquit; at noluerunt Parentes parere filio defuncto, curam deducendi funeris aliquantisper ſuſpendunt, donec quid ſuperi, quid ſuperorum Regina poſſint exploratum habeant. Mortuum ergo hoc frumentum in terram illam benedictam projiciunt, pro filio exanimi preces ad Remetenſium Auxiliatricem fundunt, & en frumentum reſurgit, filius reviviſcit. Nonnè verum dixiſſe videtur Maria, Eccl.24. *in me gratia omnis via, & virtutis, in me omnis ſpes, vita, & virtutis.*

§. 32. Umbræ Tartareæ diſpelluntur.

1661. BEne quidem Auguſtinus, *nec diabolus*, inquit, *aliquid ſibi facere poteſt, niſi is permittat, qui deſuper habet poteſtatem*; horremus tamen ejus præſentiam, abominamur nomen, contremiſcimus ab ejus forma terribili, ut B. Catharina Senenſis dicere non dubitaverit, malle ſe ad extremum Judicij diem atrociſſimas Purgatorij pœnas ſubire, quam vel ſemel ſpeciem maligni hoſtis, aliquando ſibi à Chriſto monſtratam, iterum intueri. Hujus crudeli aſpectu territi ſunt aliquoties, Jacobus Juancheni Tranſſavianus, Petrus Vincek, & ejus Conſors Catharina, quorum hi duo noctu, ſpectra complura, varijs induta formis, non ſine ingenti cordis palpitatione, corporis ſudore, animique palpitatione conſpexêre. Bis ſeptem tranſire noctes, quibus ſemper Perſonati hi Tenebriones, oculos conjugum offenderant, nullis vel amuletis, vel precibus pulſi, niſi ijs, quas ſtipulata devotione ad Virginem Remetenſem fuderunt, quo facto ſenſerunt ſe exauditos omnique terrore nocturno liberatos. *Profecto Sanctum & terribile nomen Mariæ* ait Idiota *tanta enim virtutis, & excellentiæ eſt, ut ad invocationem ejus cœlum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, dæmones contremiſcant, infernus conturbetur.*

Digitized by Google

§. 33. *Mortuus reviviſcit.*



1661. VIr honeſtus Jacobus Jantolich, Proviſor Domini Comitis Nicolai Erdeödi; in Superiori Ziche; filium habuit Paulum, qui juvenili temeritate, aquis plus juſto ſemet concredendo, infelici caſu abſorbetur: Nunciatum ut hoc Parentibus, vix non ex uno tria creverunt funera, ſex jam horis poſtquam ab undis extractus eſt, jacuit exanimis, aquis ita turgidus ut inflati utris referret ſimilitudinem. Interea Pater nil niſi ſingultire, Mater ejulare cernebatur; nec mirum, *nunquam enim ſine dolore amittitur, quod cum amore poſſidetur*, ait S.Greg. l. 1. Mor. c.4. Mæſti ergo Parentes, in uno filio omnia ſe perdidiſſe rati, & baculum ſenectutis, & lumen oculorum ſuorum deplorabant, ſed quid cum fletu? *fruſtra fluunt lacrymæ nullus revocatur ab umbris*, niſi ad id Deus moveatur, & vere motus eſt, poſtquam Parentes in genua provoluti, Deum, ut faceret potentiam in brachio ſuo, obteſtati, vitam reſtitueret, ſimul Advocatam interpellant Mariam, viventium Matrem, cum proteſtatione ſe Remetenſi ejus Simulachro futuros non ingratos; mira res! Puer reviviſcit, parentes ſuos, quibus inſalutatis receſſit, filiali mox amplexu ſtringit, aquas copioſe evomit, domum cum illis re-

verti-

Digitized by Google

vertitur, & paulò poſt Remetenſe debitum, cujus ſe parentes, pro vita illius reos fecerant, una, & ipſe non ingratus perſolvit. Videtur mihi Maria Tabernaculo fæderis non ab ſimilis ſicut enim in illa Aaronis Virga, Num.17. jam arida refloruit, ita ſi qui mortui in patrocinio ejus deponantur, vitæ florem, denuò ſæpiùs induiſſe conſpiciuntur.

§. 34. *Dolor Pedum curatus.*

1661. SImulachris Deorum ſimiliores ſunt, quàm hominibus, qui pedes habent, & non ambulant, quod experimento didicit Michael Paitur, ex Veſznik, qui velut inutile terræ pondus, quanquam duobus annis pedes ſuos ad obſequium urgeret, ſemper tamen rebelles, & contumaces ſenſit. Medici, & Chyrurgi, ſuavibus eum adoriebantur remedijs, oleo videlicet, & unguento, ſed quia ruſtici erant, molliora irriſerunt tantum, ad duriora ergò progrediendum erat, pungi jam non ungi debebant, penitusque abſcindi: priuſquam tamen id fieret, miſer Michael tentandos etiam ſuperos pro auxilio ratus, miſerorum omnium communem Advocatam Mariam interpellat: Cernis, ait ô Virgo! ut omni deſtitutus ſuffragio, ſtipiti, quam homini ſimilior, hic jaceam: miſerere quæſo, & reſtitue, quos à tanto tempore amiſi pedes, videbo ut ij me in tui obſequium ferant Remetam, ad gratiarum tuarum Thronum: nec vanæ fuerunt hæ preces, viſus eſt poſt modicum tempus humor nocivus in utroque genu evaneſcere, & pedes poſt liminio ſuum redire ad officium. Non potuit, nec debuit aliud aſylum quærere hic Michael, quam Te ô Maria, *ſicut enim pulli volantibus deſuper milvis, ad galina alas accurrunt, ita nos ſub velamento alarum tuarum abſcondimur, neſcimus aliud refugium niſi te: Tu ſola es unica ſpes noſtra, in qua confidimus, Tu ſola es Patrona, ad quam omnes aſpicimus*, ſic S. Thomas à Villanova. Serm.3. de Nat. BV.

§. 35. *Manus & Pedes ſanati.*

1661. NOn ab ſimilem rebellionem malo ſuo expertus eſt Matthias Hrunczevich ex Oborovo, hic non pedes tantum, ſed & manus refractarias habuit, proximum erat, ut periret fame, nec enim pes pro ſuo pane ire, nec manus pro eo laborare voluit O miſerum! ſed age mi mance, mi laude, ſurdus nè hucuſque etiam fuiſti, & nihil de mirabilibus Mariæ Remetenſis tibi unquam aliorum ore innotuit, an etiam cæcitate loboraſti,

Digitized by Google

ſti, ut tot in loco illo ſacro utrinque pendentia anathemata, velut totidem acceptorum beneficiorum monumenta, videre non potueris? quin ergo fiduciam tuam eò collocas, cum Mater ſit, *cum qua ab infantia crevit miſeratio*, quæ nequit miſerias noſtras ſcire, & non ſubvenire; Fecit hoc: & non multo poſt veritatem dictorum ipſa didicit experientia. Aure è Chryſoſtomus, *non eſt fas O Maria, te illum poſſe deſerere, qui ſpem ſuam fiducialiter in te collocavit.*

§. 36. *Cæca videt.*

1661. EAdem anni tempeſtate Agata Puſilovich, apertis oculis diu nihil vidit, quocirca *anima* ejus *deſideravit* Mariam Remetenſem, *in nocte* cæcitatis ſuæ, quid multis, vix pauci abiêre dies, ſimul noctes oculorum abijſſe videbantur.

§. 37. *Alia Cæca illuminatur.*

1661. ECclypſatus erat præſenti anno mundi oculus ſol, neſciò qua ſympathia naturarum, oculi Eliſabethæ Ztarcheriska ex Rimmiza eandem lucis jacturam ſubiverant, præterquam quod terroribus nocturnis agitata fere morti cederet in ſpolium. Ergo duobus propulſandis incommodis, unum rata ſufficere remedium, Mariam Remetenſem inclamat, quæ Hercule fortior duos ſanitatis hoſtes, una miſerationis clava proſtravit.

§. 38. *Iterum Cæcitas depulſa.*

1661. FÆminam fuiſſe fabulatur Æſopus, quæ cæcitatis vitio obnoxia medicum accerſivit, at ille quotidie è domo cæcutientis fæminæ utenſilium aliquid ſecum auferens brevi tempore ſuppellectilem omnem iniquo jure ſuæ poteſtatis fecit, interea illa medici præſcriptionibus uſa, ut viſum recepit, nihilque ampliùs ſuarum rerum reliquum ſibi in domo ſupereſſe videns, ô me miſeram ait, quæ cum cæca fuiſſem, multis abundabam, nunc verò viſioni oculorum reſtituta, nihil in domo mea ſuppellectilis videre poſſum. Fabula hæc in hiſtoriam forte tranſijt. Urſula enim Simonovich, longiori tempore, dulci orbata lumine, cum Tobia ſedebat afflicta. Omnia jam ferè in ſui ſanitatem medicis erogaverat, ſed fruſtra; quouſque ſaniori perſuaſa conſilio: Æſculapiæ Virgini, in ſtatua Remetenſi, peregrinationem

nem vovit, à qua obtinuit quidem viſum, minùs tamen èam de facultatibus ſuis poſt hæc vidiſſe exiſtimo. *Medici abſtulerant..*

§. 39. *Oculorum dolor ſedatus.*

1661. DOrothea Karlovicz, divino, eoque arcano judicio, graviſſimis oculorum doloribus vexata, jam jam delectabili eorundum uſu privanda erat, cum illa Deum his forte verbis affata, ô Splendor Paternæ gloriæ, Lux lucis, & fons luminis Chriſte, concede mihi per immenſa Matris tuæ merita, ſolis hujus, quem oriri feciſti ſuper bonos, & malos, non deſtitui beneficio, faciam equidem, ut ſint impoſterum hi oculi mei ſemper ad te Dominum, ſed nec Matri tuæ me ingratam exhibebo, ejus Sacra Eremi Limina non ſemel frequentabo, faciamque, ut tanti beneficij ſemen, in me projectum, in centeſimum gratitudinis fructum excreſcat, tantummodò miſerere; Paucis peroravit, & movit Auditores ſuperos, Mariam precipuè; hæc enim teſte D. Bernar. *Vas liquore plenum eſt, ſi moveatur de facili ſubvertitur, & effundet liquorem gratia & miſerationis.* ſerm. ſuper miſs.

§. 40. *Uſus pedis reſtituitur.*

1661. MArgaritha Matticza ex Oborovo eo alterius pedis dolore laboravit, ut omnia, quæ vel ab amicis conſilia, vel à peritis unguenta præberentur, inferiora eſſent, voto tandem ad Mariam Remetenſem facto, pes miniſterio ſuo iterum fungi cæpit. Omnibus omnia facta eſt Maria, etiam miraculis infimæ conditionis benignas ad ſuccurrendum præbet aures; quod ipſum ſenſit Albertus Magnus, *O Maria* inquit, *Leva in circuitu oculos tuos, & vide omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, ex omni natione, qua ſub cœlo eſt; Peccatores pro venia, juſti pro gratia, triſtes pro gaudio.*

§. 41. *Aſthma ſublatum.*

1661. REtulit Magdalena Juanchan, ex confinio Juanicenſi, ſe propter nimias pectoris anguſtias, quadriennio integro, facultate reſpirandi caruiſſe, ut etiam expiraſſet, niſi cælitus ei inſpiratum fuiſſet, quatenus ſuſpiraret Mariam eique ſe Remetam voto adſtringeret, quo facto illico ab infirmitate ſua denuo reſpirare viſa eſt. Merito ô Chriſtiane *in peri-*

Digitized by Google

periculis, in anguſtijs, in neceſſitatibus, in rebus dubijs Mariam ſemper cogita, non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. D. Ber. hom. ſuper miſſus.

§. 42. *Capitis infirmitas ceſſat.*

1661. QUinque annis morbus ſonticus Martinum Czuetkovecz oppugnaverat, & jam arcem corporei ædificij caput nimirum in ſuam redegit poteſtatem. Alium item nomine Michaëlem Jaguſſich, ſex ſeptimanis ita obſedit, ut jam omnia membra in mortis deditionem properarent; quid facerent miſeri, tam valido hoſte, tanto tampore fracti, debilitatis jam viribus, deſperatis humanis auxilijs, circumſpiciunt quidem, ſed non erat, qui adjuvaret. Tandem ſuppetias è cœlo petiere, Mariam Remetenſem in partes ſollicitarunt. Adfuit illa in tempore, infirmitatemque capitis, ceu hoſtem ab obſidione arcis humanæ longius ſubmovit. *Multum profecto verba ſunt* Thom. à Kempis ſerm. 5. ad Novit. par. 3. *multum inquam eſt utile, ſcire locum refugij, à facie inimici, ubi protegaris à ſagittis acutis, ubi lateas à frigoribus, & tribulationum procellis, non eſt tutior locus adlatendum, quam ſinus Mariæ, nec equus velocior ad evadendum manus perſequentis, quam oratio fidei miſſa in caſtellum Regalis Domicella noſtra Sancta Maria*, hæc ille.

§. 43. *Periclitans puerpera juvatur.*

1661. NObilis Franciſcus Szaicz, è Remetenſi peregrinatione redux, Uxorem reperit partus doloribus uſque adeo conſtrictam, ut duorum vita, & ſalus, in uno diſcrimine poſita videretur, afflictiſſimus maritus, qui etſi corpore paulo ante redierat, cogitatione tamen denuò Remetam revertitur, illius Puerperæ implorat opem, quæ ſine Virginalis clauſtri violatione enixa eſt Deum pariter, & hominem; quod ſi ſuccurrat, Remetenſem viam iterato ſpondet ſe relecturum. Vix ille precandi, vovendiq; formulam abſolverat, & uxor ſolutis uteri repagulis puerpera efficitur. Non abſque cauſa ſcripſit olim D. Ignatius Martyr ad Joannem Aplum; *Maria miſeris, & afflictis condolet coafflicta, & ſubvenire non pigreſcit, & apud fideles omnium operum pietatis eſt miniſtra.*

Digitized by Google

§. 44. *Epilepſia curatur.*

1661. ADoleſcens quidam Joannes Malek è Stubicza oriundus, graviſſimis Epilepſiæ moleſtijs corripiebatur; adeò, ut cum illum inſolitum clamorem, illam ſubitam humi alliſionem, dentium ſtridorem, ac tremorem corporis, accurrentes intuerentur, miſerati ſint ejus ſortem, & Mater quidem præcipue, quæ præſenti diſcrimine cogitatione ſua omnia terrena remedia tranſcendens, Remetam verſus oculos conjicit. O Salus inquit infirmorum, ubicunque locorum es, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte, cui humilium & pauperculorum ſemper placuit deprecatio, per ſolem quo amicta, per lunam quam calcas, & per ſtellas quibus coronata incedis, te rogo, Filij mei miſerere, vides eum virium & mentis impotem, ah juva! & beneficio tanto utrumque devincies ad locum ſacrum, dixit, & in filium obliquans oculos, menti, & ſanitati ſic reſtitutum vidit, ut nuſquam deinceps ea morbi ſyncope correptus fuerit. *O quam dignum, ô quam excellens, & ſublime eſt hoc nomen glorioſiſſimum Maria, ô quam utile omnibus invocantibus, ſiquidem per hoc ſanctiſſimum nomen lapſus ſublevatur, peccator liberatur, gratia infunditur, cor dulcoratur, dæmon effugatur, tentatio refrænatur, pericula evitantur, peſtes & infirmitates repelluntur, orationes exaudiuntur, ô feliciſſimum nomen! per quod homo in morte aſſecuratur, in purgatorio refrigeratur, & in cœlo ex præſentia tantæ Dominæ jucundatur. Sic Pelbartus Temeſvar. Lib. 6. Stellarij.*

§. 45. *Terrores pulſi.*

1661. MAtthæus Michich, ex Juanecz, magnis ſubjectus terroribus, ſæpe à parentibus pro exanimi habitus; quo malo cum frequentius eum agitari cernerent, ſubſidium è cœlo ſuſpirijs ſuis promereri ſatagunt, Virginem in Eremitana Capella Thaumaturgam querulis urgent vocibus idque unicè agunt, ut adſit tam dira patienti. Vicit pia importunitas; quo effectu? patuit, cum exultabundus, ante aram Remetenſem, Tutelari ſuæ gratificaturus, ſe devotiſſime ſtitit. Bonaventuræ verba hic ſubnecto. *Maria*, ait ille in ſpec. B. V. lect. 4. *nos libenter ſalutat ſervitio, & conſolatione, ſi nos eam frequenter ſalutemus ſervitio, & oratione, libenter nos ſalutat cum gratia, ſi libenter eam ſalutamus cum Ave Maria.*

Digitized by Google

§. 46. *Puella caloribus penè confecta recreatur.*

1661. INter eos Tranſſavianos, qui Remetam voto facto, melius habuerunt, albo virgineo inſerenda venit Catharina, Matthiæ, & Margaritæ Ginisich filia, quæ caloribus internis euſque vexata, ut rationis jacturam, & ſimul vitæ periculum ſubierit; fortaſſis legerunt in Surio 23. Junij, qualiter aliquando B. Maria Ogniacenſis viderit Reginam cœli, ſanctæ cuidam viduæ, ad lectulum aſſiſtentem, & flabello quodam, caloris æſtum humaniſſime temperantem; eadem freti fiducia inviſibile refrigerium, pro internis filiæ ſuæ ignibus, & ipſi à Maria Remetenſi depoſcunt, & impetrarunt etiam; Teſtibus Georgio Sam, & Joanne Jankovich. Circa idem tempus eodem morbi genere nec non & diſſenteriæ malo ſe affectam querebatur Margarita Jakovlich ex Kraij, ſed & ipſa pari beneficio ab utroque liberata eſt. Non tardat ſuccurrere Maria *antequam clament* ait apud Prophetam Iſ. 65. *ego exandiam & adhuc loquentibus ego audiam.*

§. 47. *Loquela redit.*

1661. BOnum quidem eſt ſilentium, *nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum*, tamen quia homo eſt animal ſociabile, ſocietas autem ſine colloquio, brutorum potius animantium eſt, quam hominum, idcircò facultatem loquendi, inter prima Dei dona merito numeramus. Loquelam amiſſerat, ob gravem gutturis dolorem, Margarita Maiczenich, ex Berdovecz, unoque menſis ſpacio, non niſi ſignis, reconditos animi ſui conceptus, in lucem dederat: gravis naturæ ea videbatur injuria, linguam habere, & loqui non poſſe, gravius adhuc erat, nullum ſcire remedium ſolvendæ linguæ opportunum. Sed age mulier, eſt in eremo noſtra Virgo, quæ *aperit ora mutorum, & linguas hominum facit diſertas*, illa ipſa eſt calculus ignitus, quo lingua Iſaiæ ſoluta eſt: eo te confer, ſenties ſanè remedium reperiri in eremo, quale nec omnia hujus mundi Pharmacopæa exhibere poterunt. Fecit illa, & linguam deinceps exprimendis conceptibus obſequioſam experta eſt. Eodem tempore, ſimili gutturis dolore liberatam ſe ſenſit, Anaſtaſia Rudich, ex ſelnio, quæ præterea Patrocinante Deipara Remetenſi, à præſentaneo mortis diſcrimine incolumem ſe evaſiſſe, ſuo aliorumque teſtimonio comprobavit. *Sol* ut ait ait Richardus à S. Laurentio de Laudi. B. V. c. 7. *tanta libertatis eſt, quod à nulla creatura, quantum-*

Digitized by Google

tumcunq; fatente, & ſordida, ſi ſit ei expoſita, radios ſuos avertit. Similiter nec Maria, à quantumcunq; viliſſimo homine ipſam fideliter invocante, avertit reſpectum pietatis ſuæ.

§. 48. *Manuum pedumq; uſus redditus.*

1661. NIl malè affectis pedibus importunius, portare deberent, & portari volunt; tales habuit Andreas Phillipſchich, ex Biztra, pago Juancze, & quod malum duplicaverat, manus etiam habuit, ad omnem laborem inutiles, jacuit miſer, ſtipiti ſimilior, incertum, an plus à morbo, quam à fame, & frigore incommodatus: pauper enim erat, ab omnibus derelictus, adfuit tamen Regina cœli, à ſe piè invocata, nec dedignata eſt, hanc orphanam Adæ ſobolem, ſuum recipere ſub protectionis pallium, morbum aufert, & membra dicta ſuo vigori reſtituit. Maria nimirum benevole Lector velut altera Dido, quæ

Non ignara mali miſeris ſuccurrere novit.

§. 49. *Varia membra ſanitati reſtituta.*

1662. TEſtati ſunt ad præſentem annum, varias ſe gratias Mariæ Eremitanæ referre in acceptis; Urſula enim Buzilovich ex Selino, menſe uno manuum deſtituta uſu, Michael Kerlecz, ex Kuzina contractione nervorum in manibus miſerandus, Michael itidem Bogdan, ex Niarth gravi pectoris ægritudine preſſus, Thomas Pluſcich Criſienſis, & Anna Papoychi, ex S. Helena, capitali dolore vehementiſſimè agitati, ut primum Sacramento gratitudinis, erga divam Remetenſem ſe ſe ligarunt, viciſſim vinculis infirmitatum ſe ſolutos, non ſine admiratione perſpexerunt: Proprium eſt hoc Mariæ, ut ſolvat morbo compeditos, illuminet cæcos, erigat eliſos, diligat juſtos, cuſtodiat advenas, pupillum & viduam ſuſcipiat, & vias peccatorum diſperdat.

§. 50. *Spectra abacta.*

1662. MAritalis lecti rivalem aliquanto tempore, noctibus ferè ſingulis, experta eſt Barbara Horvaticziana; Aſmodæus forte erat caſtarum mentium infeſtator, qui miſellam concubitu ſecum nefando, ad flagi-

Digitized by Google

tium ſtimulavit, utque ſimilis ſimili gauderet, monſtroſam quoque fecit, ita ut inverſo ore, longo tempore vix hominem referret: Sic tamen deturpata corpore, nihil turpe in animo admiſit, apertè profeſſa, nolle ſe diaboli conſuetudine delectari, cujus amplexus ſunt vincula, qui cum amat, hamat, dum ridet ſtridet, dum lingit, ſtringit, dum obſequitur, perſequitur, abiret à ſe, & aliam ſibi, nempe è tribus inferni furijs, unam quærere-



ret Terpſichorem, ſimul ore licet inverſo, ad Mariam Remetenſem tamen converſo, nomen ejus ingeminat, ſingultus ciet, peregrinationem ſpondet, ſi liberaret ſe à leone rugiente, qui circumeundo quærit, quem devoret. Audijt hæc Virgo, & mox *in fraude circumvenientium adfuit illi, & cuſtodivit eam ab inimicis & à ſeductoribus tutavit illam*; hircum enim laſcivientem, dæmonem inquam, impurum, ad fætidam Acherontis caulam abegit. Richardum à S. Lau. l.2. de laud. Virg. nunquam legit Barbara noſtra, ejus tamen conſilium ſecuta eſt, ait enim, *ſicut puerulus quiſpiam timens canem fugit, & clamat ad Matrem, ſic quicunq; vehementer tentatur, timetq; morſum diaboli, per orationem confugere debet ad Mariam, tunc ſecure dicere poteſt, pone me Domina juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.*

§. 51.

Digitized by Google

§. 51. *Moribundus redit.*

1662. VIam univerſæ terræ intraturus Matthæus Giurkovich, jam in procinctu itineris portas inferorum pulſitabat, manuductus à graviſſima, quam patiebatur infirmitate; mæſtiſſimus parens ne id fieret, per ſuperos omnes, & quæ Superum Regina eſt, Mariam, ſine cujus interventu raras Deus diſpertitur in hæc inferiora gratiarum ſuarum influentias, obteſtatus. O Mater, en mihi filius, tibi verò ſervus magnis paſſibus ad domum æternitatis properat, retine eum, ah retine! & vivat adhuc Tuo honori, & meæ conſolationi: Ibimus ibimus ad Remetenſem gratiarum Thronum, ibidem debitum gratitudinis pro tanto beneficio depoſituri. Vix preces finierat, & filius quaſi cæpti itineris pænitens, depulſa supernè infirmitate, ad vigorem redijt. *Sileat miſericordiam tuam ô Virgo Beata* ait S.Antonius 4. par. tit.15. c.2. ex S.Bernardo; *quicunq; in neceſſitatibus ſuis, te invocatam, ſibi deeſſe ſenſerit. Quanta cura eſt Virgini Matri de nobis; omnibus aperit ſinum miſericordiæ ſuæ, nec eſt, qui ſe abſcondat à calore beneficiorum ejus.*

§. 52. *Mutus loquitur.*

1662. COturnarius hic erat Zagrabienſis Matthias Keczinevich, cujus lingua, neſcio quo morbi vinculo ligata, verba nulla per triduum formare poterat, ſuſpirabat frequenter, oculos in cœlum rotabat, quid tamen vellet, nemo adſtantium intellexit; non ignorabat tamen clientis ſui ſecretas animi petitiones Virgo Maria, cui interiores Matthiæ conceptus fuerunt verba, ſuſpiria motiva, gratiam ergo fecit, quæ gratiâ plena fuit, linguam officio reſtituit, ne deeſſet qui beneficium hoc alijs ennarraret. S.Brigittæ l.1.revelat.c.31. legitur dixiſſe D. Joannes Baptiſta, *in quacunq; neceſſitate fuerit homo, ſi cæli Reginam Matrem Dei, toto corde invocaverit, exaudietur.*

§. 53. *Epilepſia pellitur.*

1662. PErmagnam à Remetenſi Thaumaturga præſenti anno gratiam ſe retuliſſe confeſſus eſt, Petrus Krajaczich ex Puska, liberatus à morbo, quem ſic appellant caduco, cujus immanitate duobus diebus, omnium ſen-

Digitized by Google

ſenſuum, & ipſius etiam rationis ſe expertem querebatur, nullus circa eundem niſi de funere ſermo, & placuit Deiparæ piè interpellata, ejus de ſe concepta fiducia, morbum enim quem irrremediabilem putabat, verè caducum, hoc eſt vanum, tranſitorium, imò nullum eſſe poſthac voluit. *Quis eſt?* quærit S. Bonavent. in ſpeculo B. V. lect. 10. *Super quem ſol & luna non luceat, quis eſt ſuper quem miſericordia Mariæ non reſplendeat? & quemadmodum ſol oritur ſuper bonos, & malos indifferenter; ſic Maria præterita non diſcutit demerita, ſed omnibus exorabilem, omnibus clementiſſimam ſe præbet, omnium deniq; neceſſitatibus ampliſſimo miſeratur affectu.*

§. 54. *Vitæ periclitantes ſervantur.*


1662. JUvenis quidam Marcus Steptich ex ijs Sclavoniæ partibus, quas Savus alluit, cum graviſſimis terroribus menſe integro ſic conflictatus, ut ſenſibus omnibus deſtitutus, non niſi funus, ſpirans cadaver videretur: aderant eo ſpectaculo mæſtiſſimi Parentes, quibus præſenti diſcrimine aliud haud occurrit, quam vitam filij quærere è prodigio: Itaque Mariæ Remetenſi flexo poplite proſternuntur ſupplices, inducias, inducias, clamant, ô potentiſſima vitæ neciſque arbitra, en filius noſter chariſſimus vita excedit, & ſimul cum eo lucrum panis quotidiani abibit in tumulum, ne tu hoc ſinas, ſenes etenim ſumus, laboribus inutiles, fame alioquin perituri, ſi is moriatur, cujus viribus, induſtria, & pietate filiali, hucuſque viximus; Adhuc genibus humum premebant parentes, cum ecce filius ſuis reſtitutus ſenſibus, uti & ſanitati in gratias, & pietatis lachrymas reſolvitur.

Huc enumeranda venit Anna Deſputh, ex Niarth oriunda, quæ trium, & ampliùs menſium ſpacio ſemi mortua, uno jam pede in cymba charontis ſteterat, ſed ut primum Mariam Eremitanam per dulciſſimum lac uberum ſuorum obteſtata eſt, ne ſe hac charontis cymba, per mare mortuum tranſvehi ſineret, pedem illico retraxit, & in terra viventium longius progreſſa, adhuc forte inter homines agit, Deique Matris mirabilia pleno ore deprædicat. Et recte: *dignum quippe eſt*, ait B. Petrus Card. Daminani, l. 6. Epla. 26. *ut quæ laudum præconia meretur ab Angelis, obſequijs etiam frequentetur humanis, eiq; poſt Deum totus orbis exhibeat laudem, per quam ſuſcepit propriæ ſalutis auctorem. Optima ſane ſpes eſt, apud eam habere confugium, quæ ſcilicet inter omnes cœleſtis curiæ Senatores impetrandi apud Deum, primum obtinet locum.*

§. 55.

Digitized by Google

§. 55. *Puerpera mortuum parit ſed reviviſcit.*



1662. EA fuit Barbara Bartulichiana, ex Berdowecz, quæ acerrimis doloribus puerperij, ipſa octava aſcenſionis ſic agitabatur, ut ſua, & prolis pariendæ ſalus, in æquali vitæ periculo poſita videretur, enititur tamen, ſed fætus etſi in lucem prodierit, lucem tamen non vidit, utpote mortis tenebris adhuc in utero præoccupatus. Barbara fruſtra ſe Matrem eſſe videns, utpote quæ filium prius occidit, quam peperit, in fletum, & mœrorem diſſolvitur. O crudelis mors! ajebat, nulli ætati parcere neſcia, ſiccine florem nec dum natum, cruenta falce demetis? ô Superi beati ad ſuccurrendum omni arundine flexibiliores! Tuque inprimis Auguſtiſſima Remetenſium Tutelaris, huc quæſo adſis, & ne tantos ſine cauſa ſuſtinuiſſe videar in partu dolores, filium meum aura vitali miſericorditer affla. Tuum poſt hac futurum, magna ſunt quæ à te poſtulo, ſcio tamen Dominum Tibi quoque feciſſe magna, qui potens eſt. Placuit Mariæ tam fiducialis de ſua pietate exiſtimatio, & en corpuſculum iterum animatur, infantulus vagit, ſed cujus vagitus gaudium erat Matri, admiratio circumſtantibus, *Vere fons immortalitatis eſt Maria* ut ait B. Andreas Cretenſis Or. 2. de Deip.

Digitized by Google

Deip., *qui exinaniri non poteſt, venite qui morte affecti eſtis haurite, ecce vitæ fluvij perennes, adeſte omnes, efficiamini immortales.*

§. 56. *Oculorum dolor curatus.*

1662. UTi nihil in mundo communius luce, ita eà nihil deſiderabilius, quot votis ejus uſuram deſideravit Dorothea Bezuczy, quæ integro duodecennio tales habuit oculos, qui miſeram non tantum facilitate bene videndi deſtituerunt, ſed acerbis etiam doloribus exercuerunt, ſed quia pauper erat, remedijs humanis aſſequendæ ſanitatis caruit; eſto autem ei non fuerint argentei nummi, non deerant tamen aurea verba, quibus opitulatricem Remetenſem in ſua vota ultro etiam currentem traxerit, Sacramento ſe obligans, velle ſe in accepti beneficij teſſeram, ſua ſe præſentia ſiſtere ad aram miraculoſam, quod illa non minus fideliter adepta ſanitate præſtitit, quam antea ſancte ſpopondit. *Non poſſunt*, ait Rich. à S. Vict. c. 23. in cant. *miſeria noſtra ante te ſilere, nec auditum tuum latere, eo quod aures audiendi miſerias habeas, & te has ſcire, ſit idem ac eas audire, ſicut enim ubicunq; fuerit corpus, congregantur & aquilæ, ita ubicunq; fuerit miſeria, tua currit, & ſuccurrit miſericordia.*

§. 57. *Auditus redit.*

1662. ANtonius Bartulich ex Vukovina in interioribus aurium organis ſeptennio ſic affligebatur, ut præter amiſſionem auditus, optarit etiam carere operatione tactus, ſicque nihil ſentire dolorum in auribus, ſed non eſt auditus à Deo. Ad Mariam ergo converſus, quæ tota auris eſt ſurdo, oculus cæco, & pes claudo, illius viſcera pietatis inclamat, reum ſe illi voto peregrinationis Eremitanæ facit, & auditus eſt ſtatim, poſtea vero, & ipſe audijt. Quis reprehendet Rich. Lib. 2. de Laud. Virg. quod Mariam aurem appellarit, qua mediante Deus, audit quidquid petitur, *præparationem* inquit *cordis eorum audivit auris tua, quia te mediante, Deus pauperes exaudit, ſicut homo mediante aure ſua.*

§. 58. *Cæci illuminantur.*

1662. HOc anno, uno fere eodemque tempore, tres perſonæ, Michael nimirum Maiczenicz, ex Berdovecz, Catharina Slaburicza, e-

ejuſ-

Digitized by Google

juſque filia Urſula, ex Stubicenſi teritorio, oculorum uſura privatæ, ad eam in Eremo recurrerunt, quæ profert lumen cæcis, ſimul & voti compotes effectæ ſunt: non poſſunt ſcilicet diu abſtinere à viſu, qui Mariam Matrem pulchræ dilectionis ſancto amore concupiſcunt, pulchritudo enim illius, oculorum omnium caſtiſſimum eſt illicium.

§. 59. *Lethalis morbus pellitur.*

1662. HOneſta, ac nobilis Domina Barbara Tomachiana, Boſilienſis, propè Caroloſtadium, ſeptem hebdomadibus cum morte decertans, jam jam ab ea defectis viribus triumphanda erat, ultima ſupererat lucta, ad quam ſacro ceromate inungebatur, atque ut inter mortuales tenebras tutos poſſet figere greſſus, ardentem candelam, ut moribundos decet, in manus accipiens, Jeſum, & Mariam, ſibi in itineris ſocios à circumſtantibus inclamari ſenſit. Sed filius ejus Marcus Kovachich, ut matri jam loqui neſciæ, à qua vitam traxerat, vitam longiorem pia talione impetraret, Mariam curuatis genibus veneratus, pedes, brachia, caput, corpus, ſpiritum, præcordia, verbo ſe totum Remetenſi ejus ſtatuæ devovit, ſi matri luctanti ſuppetias latum veniret, eamque funeſti falcatoris manibus, longiori fruendam vita eriperet. Filialem hanc pietatem non potuit benigna Virgo longius diſſimulare, adfuit pie invocata, & filio ſatis, & matri benè fecit; poſt dimidium enim quadrantis, animo, & loquelæ reſtituta, præſentibus non paucis ad filium converſa, *fili mi ait, noli timere, nihil mihi erit.* Teſtes hujus rei ſunt R. D. Mereſich, Capellanus Vinicenſis, Laurentius Salek, Stanislaus Tomach. Videte mortales, ut verum ſit, quod dixit Gerſon, tract. 6. in magnificat. *Erras ſi miſerationem ullo tempore, vel loco credideris defuiſſe in Maria, quæ Mater ideo dicitur miſericordiæ, quia quodammodo ſibi proprium eſt miſereri miſeris.*

§. 60. *Gravis morbus depellitur.*

1662. PRiſcæ gentes ut teſtatur Drexelius, prodrom. æter. c. 1. §. 11. hominem definierunt inconſtantiæ imaginem, corruptionis ſpolium, mortis mancipium, fragile ſimulachrum, tenuem umbram, ſpirans cadaver, mortem, & pilam qua ludit Deus. Talis fuit Dorothea Pallichevich, ex Puſchia, quæ graviſſimo infirmitatis pondere inclinata, fere deprimebatur

Digitized by Google

tur in ſepulchrum: una noctium in ſomnijs admonita, ſi Virgini Remetenſi, ſe, ſuamque valetudinem devoveret, fore, ut hæc ſomnia, non ſomnia, ſed vaticinia experiretur, ſecuta eſt ſine ſuperſtitionis nota, quod nocturnæ imagines conſuluerant, & ſanata eſt. Vide mihi Lector Mariæ bonitatem, quæ & in ſomnijs ſuos cohortatur ad ſe in tribulationibus confugiendum. *Diligamus quæſo illam* ait Dionyſius, Richelius, Carthus, l. 3. de Laudi. B. V. *quoniam ipſa prior dilexit nos, & poſt Deum maximè amat nos.*

§. 61. *Phrœneſis depellitur.*

1663. SAluberrimus hic annus opitulante Virgine extitit duabus perſonis, Catharinæ videlicet Zrabickæ ex Verbovecz, & puellulæ cuidam bimulæ, Joannis Mugier Stubicenſis filiolæ, quarum prima, menſis unius ſpacio, altera diutius, phræneſi miſerrimum in modum decubuit, & puellulæ quidem parentes, quadam die, qua ſepties tanti mali inſolentia corriperetur, aliter non exiſtimantes, quam à malo eam genio agitari, elegerunt quod præſenti diſcrimine removendo judicarunt utiliſſimum. Virgini enim Remetenſi ſupplices facti, quidquid pectus pietatis habuit, pro natæ incolumitate depromſerunt: Bono animo ô parentes! ab hac die non amplius filia veſtra Phræneſi ludibrio futura eſt, ite tantum, & peregrinationem ad locum ſacrum inſtituite, confidite etiam poſthac in Mariam, eſt enim illa ut Cæſarius lib. 7. mirac. c. 1. loquitur *Orbis conſervatrix, & tribulatorum conſolatrix, per ipſam peccatores illuminantur, deſperati ad confeſſionem reparantur, apoſtatæ per ipſam Deo mirabiliter conciliantur, juſti revelationibus conſolantur, nomen ejus, & memoriale ejus morbos ſanat, dæmones fugat, vincula ſolvit, timores pellit, tentationes compeſcit, hæc ille.*

§. 62. *Pes trabe obtritus divinitus ſanatur.*

1663. GEorgius Vidoſſa Tormentorum Director, neſcio quod ædificium curſerat in Præſidio Petrinienſi, rectè cum Architectis egerat, cum ecce tibi ſubito ingens trabs ex alto proruit, & alios feliciter prætervolans, in noſtrum Georgium cadit, eum terræ allidit, & pedem conterit. Accurrunt Chyrurgi, ſed oleum, & operam ſuam perdunt, eorum quidam Szamoborino evocatus, quem ſummum artis Magiſtrum prædicabant, ut primum pedem inſpexit, deſperatam curam tacitus ſuſcepit, quouſque argenti aliquid emunxiſſet, quo habito, infirmum de plaga incurabili, & ſimul peri-

Digitized by Google

periculo vitæ admonuit, hiſce verbis, mi Domine aut pedem porrige, & in eo, quam acuta ſit hæc novacula, experire, aut diſpoſitis conſcientiæ rebus, ad mundo valefaciendum te para, conterritus iſte, quia utrumque exhorruit, neutrum elegit. Uxor interea advolans, bono, ait, eſto animo optime marite, multi ſæpè humanis remedijs nil proficientibus, periculis omnibus ſuperiores effecti, ad ſtuporem omnium convaluerunt, quis ſcit, an non & tu, in horum ſortem reſervatus ſis: Audiſti ne aliquando de Virgine illa, & Matre admirabili Remetenſi, quæ pauculis à nobis hinc ſtadijs diſtat, totque centenis ſe reſpicientibus eſt ſaluti. Hujus quæſo Sacroſanctum nomen inclama, voti formulam concipe, & ſenties ejus opem incu-



rabili plaga ſuperiorem. Fecit ille, & ecce miraculum! paulò poſt oſſa comminuta foras prodire, caro ſolidari, & pes ad antiquam formam redire non ſine Medicorum, quotquot eum decumbentem inviſerant ſtupore: hæc ipſe Remetam poſtea Soſpitatrici ſuæ gratificaturus adveniens, ex ordine faſſus eſt. Quam bene fecit Georgius invocando Mariæ nomen; nihil ad hoc Sacroſanctum nomen Deus negare poteſt, ut veriſſime D. Anſelmus de Excell. B.V. c.6. *Velocior* ait, *eſt nonnunquam ſalus invocato nomine Mariæ, quam invocato nomine Jeſu Filij Dei, & id quidem non ideò fit, quod ipſa*

 major

Digitized by Google

major ſit, & potentior, nec enim ipſe magnus, & potens per eam, ſed quia filius eſt Judex omnium, & diſcernit merita ſingulorum. Invocato autem nomine Matris, etſi merita invocantis non mereantur ut exaudiatur, merita tamen Matris merentur ut exaudiatur.

§. 63. *Nervi contracti remittunt.*

1663. FÆmina quædam ex Berdovecz Margarita Terkachicz appellata, toto corpore contracta longe miſerabilius, quam Evangelica illa mulier annis decem & octo curuata, de ſe edidit ſpectaculum, utpotè quæ nequaquam virtute propria, ſed alicujus manibus de loco in locum, de latere, in latum moveri debuit, his conſtricta miſerijs, eſto erectos ad ſydera tollere vultus non poſſet, Mariam tamen in cœlis regnantem, & in Capella Remetenſi, omnibus ſe invocantibus propitiam, natantibus è lacrymarum profluvio oculis, demiſſiſſime interpellavit, liceret ſibi more aliorum hominum bipedem, ſine aliorum adminiculo incedere; fore ex hoc, ut quoties deinceps greſſum faceret, accepti à Maria beneficij recordaretur. Quid dubitas Lector de eventu? Impetravit Margarita quod voluit, ipſam nos vidimus in Eccleſia Remetenſi ſic ſanam, & incolumem; ut de gratia cœlitus impetrata, nemini non certum videretur. Videte hic Matrem certantem cum filio: Iſte mulieri Evangelicæ humillimè ſe intuenti exhibuit miſericordiam: Mater huic pariter ſe aſpicienti clementiam: Ille erectam cunctis aſpectabilem exhibuit; hæc Margarethā ſolutis nervorum vinculis liberam abire fecit.

§. 64. *Nocturna terriculamenta diſparent.*

1663. Q*Ui habitat in Adjutorio Altiſſimi, &c. non timebit à timore nocturno.* Per Adjutorium hoc Mariam intelligo, hæc enim altera velut Eva, ſecundo itidem Adamo Deo homini, data eſt in adjutorium, cum quo & in arduo ſalutis negotio erat cuncta componens; Andreas Simnerich ex Kereſtinecz Larvarum deterrimarum aſpectum multis noctibus intueri cogebatur, quo fugeret miſer, ut noctuæ hæ, & veſpertiliones orciniani, quaſcunque oppeſſulatas fores ſubtilitate ſua non perrumperent? nullum opportunius aſylum, quam *Adjutorium Altiſſimi* Maria inquam, & quidem Eremitana, cum aliunde è libris Tobiæ, dæmonium quoddam, à Raphaele in eremo ligatum fuiſſe reperiatur: eo itaque confugiens, ſenſit verum eſſe, quod dixit Dyon. Carth. Art. 21. in Cant. *ſicut fluit cera à facie ignis ſicut fugit*

Digitized by Google

git cervulus ab inſecutione Leonis, ſic deficiunt, & fugiunt à tua præſentia inviſibiles hoſtes, Tu caput contriviſti ſerpentis, & omnem perimis hæreticam pravitatem, ô quantum formidant ſuperbiſſimi illi, tuam profundiſſimam humilitatem, ardentiſſima charitas tua ipſos incendit, qualiter affligit invidioſos illos viſceroſiſſima pietas, & miſericordia tua, hæc ille.

§. 65. *Miſera in pede convaleſcit.*

1663. IN ſcenam morborum protracta fuit hoc anno Catharina Zoztarich, cujus miſerandus intuitus, & horrorem, & commiſerationem peperit, percuſſa erat, primò contractione nervorum, ſecundò, livida forinſecus exulceratione, tandem decem vulnerum apertione, his acceſſit dolor, quo vetebatur loco ſe movere, vermium item ſcaturigo copioſa, qua factum, ut menſibus pluribus abominationi fuerit omnibus eam commiſerationis gratia intuentibus. Nemo ei auxilio eſſe poterat, perijſſet certo, niſi medicam Remetenſis Pharmacopeæ manum, ardentiſſimis votis imploraſſet, quæ etiam in tempore adfuit, & medelam deſperato pedi attulit, quem poſtea Catharina omnibus diebus vitæ ſuæ ejus ſervituti devovit, cujus beneficio ſanum recepit. Teſtes Matthias, & Joannes, & Nicolaus Zoztarich. Potuiſſet merito mulier hæc cum D. Anſelmo Or. ad B. V. in gratulationes erumpere; *Enitimini viſcera animæ meæ: enitimini quantum poteſtis interiora mea, ut ejus celſitudinem admiremini, ut ejus benignitatem deprecemini, cujus patrocinio indigetis quotidie, indigendo deſideratis, deſiderando imploratis, implorando impetratis, & ſi non ſecundum deſiderium veſtrum. Ecce enim ad Dominam cum tribularer, clamavi, & exaudivit me.*

§. 66. *Puerpera feliciter enititur.*

1663. EA fuit Barbara Radich, quæ partus doloribus præoccupata, diu valde ab onere maturo ſe relaxare non valens, eo ferè miſeriarum devenit, ut dum fœtum in lucem edere conaretur, ipſa viciſſim ferè in tenebras, & umbram mortis transiret, ſed quia neceſſitas ſæpè remedium quærit à prodigio, ubi humanum defuit auxilium, ad ſuperna confugit, Mariam Remetenſem veram parturientium Lucinam, varijs exercendæ pietatis pollicitationibus, in præſens vitæ diſcrimen ſollicitat, & eo quidem effectu, ut dubites Lector citiùs ne advocata auxilio adfuerit, quam Barbara precandi finem fecerit. Teſtes Stephanus Radich & Antonius Giurach.

Digitized by Google

§. 67. *Varij ægroti ſanati.*

1663. HUmanæ vitæ prologus eſt naſci, narratio dolere, Epilogus mori, orationis hujus tropi & figuræ ſunt, gemitus & fletus. Hanc Rethoricam callent etiam, qui Ciceronis Tuſculanum, ne quidem à limine ſalutarunt; Eos inter merito numerandi Joannes Bartolich, ex Berdovecz; Matthias quidam V. Cap. Zagrabienſis Colonus, in Niartha, Joannes Buſzanich, ex Puska, & Catharina Kuniczka, ex Juvanecz, qui ad præſentem annum graviſſime ægrotantes, vere vitæ hujus narrationem, non niſi merum dolorem experti ſunt, jamque ferè ad Epilogum mortis devenerunt, cum facta Apoſtrophe ad Divam Remetenſem, pro longiori vita, & recuperanda valetudine perorarunt; & finem quidem ſuum egregie conſecuti ſunt, quando raro exemplo, nullis præter fletum, ſubinſperſis metaphoris, & metonomijs, dictione ſua perſuaſerunt. Omnia poteſt Maria: unde Sanctorum multitudo apparens aliquando S. Brigittæ ad Reginam cœli ſic dixiſſe fertur. Ut habetur l. 4. Revel. c. 74. *O Domina benedicta, Tu portaſti Dominum in te, & Tu Domina omnium es, quid eſt quod non poteris? quod enim tu vis, hoc factum eſt, voluntas tua ſemper eſt noſtra, Tu merito Mater charitatis es, quia omnes viſitas charitate.*

§. 68. *Mortua reviviſcit.*

1663. POſt viſam ſcalam Jacobum Patriarcham evigilaſſe ſcriptura gen. 8. innuit, ergo ne evigilare debuit, quia ſcalam vidit? ita ſanè: Scala illa Deiparam ſignificat ut, ait Bern. in laud. B. V. hanc qui vident, ſubitò ſæpè evigilant à ſommo mortis. Quod Puellæ cuidam Stubicenſi, Catharinæ, è Colonabus D. Szakmardi accidit, hæc circa feſtum S. Michaelis, caſu in cultrum incidens, adeò guttur ſibi transfixit, ut anima mixta cum ſanguine, per vulnus, velut aperto oſtio momento eruperit. Itaque per diem integram omnis vitæ expers, nil præter juſta operiebatur. Viſa tam triſti ſcena Barbara Turanicz, cujus ſub cura puella vixerat, nimio conſternationis æſtu, in alterum ferè funus expalleſcit, tricas capitis violentis manibus diſcriminat, unguibus faciem dilaniat, domum & æthera ululatibus implet: compoſitis tandem turbatæ mentis motibus in genua cadit, palmas in cœlum ſuſtollit, ô Mater aurea, ô Virgo Mellea: quid video ante me? fieri ne poteſt, ut anima Puellæ revertatur? oculi ejus rurſus videant? pedes ambulent? corpus movea-

Digitized by Google

moveatur? ah fac quæſo, per omnes gratias tuas, quas in Remetenſi Majeſtatis tuæ ſolio aliquando petentibus impertijſti, te rogo, quod ſi feceris, utramque tuis obſequijs perpetuo obligatam facies. Vix preces finierat & vagabundus ſpiritus antiquum hoſpitium quærere, tecta corporis ſubire, membra omnia denuò inhabitare cœpit. Tantæ virtutis hæc Mariana ſcala



eſt, ut ad ejus ſolum recordationem, dormientes à ſomno mortis evigilent. Huc peccatores! qui mole vitiorum coram Deo mortui jacetis, in tumulo inferni jam jam ſepeliendi, hanc ſcalam attendite, qua mediante ad vitam illam beatam pervenire poteſtis. *Facta eſt enim Maria* ait S. Auguſt. Serm. de Nat. B. V. *Scala cœleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, ut per eam homines aſcendere mererentur ad cœlum.*

§. 69. *Dolor pedum curatus.*

1663. RETulit interpoſita fide Nobilis Barbara Hrobiczka, Turopolenſis, ſe pedes habuiſſe, ad omnem paſſum obſtinatos, demulcebat eorum contumaciam medicinis varijs, ſed fruſtra, tandem eos ſic inutiles Eremitanæ Deiparæ voto nuncupato obtulit, quæ paulo poſt eos ad ſui obſe-

Digitized by Google

obſequium redidit promptos, & alacres, ut qui prius greſſum facere detrectabant, jam longis itineribus conficiendis non amplius obſiſterent. *Non eſt revera finis ô Maria magnitudinis tuæ* ait S. Germanus Patriarcha Conſtantinop. or. de Zona B. V. *non eſt numerus tuorum beneficiorum, nullus eſt qui liberetur à malis, niſi per te ô puriſſima, nemo eſt cui donum concedatur, niſi per te ô Caſtiſſima, nemo eſt cujus miſereatur gratia, niſi per te ô honeſtiſſima.*

§. 70. *Gravis infirmitas tollitur.*

1663. HOmo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miſerijs: Hoc quam verum ſit, exempla hactenus deſcripta, te abunde docent, at & ſi necdum ſatis, accipe etiam hoc in auctarium. Bartholomæus Siſiakovecz Carniolus Labacenſis, juvenis annorum viginti, apud Inſtitorem quendam officinæ cuſtodiendæ præfectus, ex vino nimio, cibiſque noxioribus intemperantior factus, deficientibus omnino viribus præſentaneum mortis periculum, medico ſic ſentiente adijt, jamque loquelæ, & ſenſuum omnium expers, à fatis in regionem mortuorum trahebatur, cum ecce repente quaſi è ſomno evigilans, quis eum ab itinere impediret, quis evacuato languore vires novas infuderit, quis medicus deſperatam vitam, ſuis ſtiterit præſcriptis, ſollicite à circumſtantibus interrogat. Aderat forte amicorum nonnemo, qui tacitis votis Mariam Eremitanam, in apertum vitæ diſcrimen evocarat, qui Bartholomæum affatus, mi juvenis ait, nequaquam mortalium alicui, tuam debes ſanitatem, ſi quam nactus es, illam recognoſce ſoſpitatricem, quæ in Eremo Zagrabienſi, omnibus ſurdis, cæcis, claudis, morbidis præſentaneo adeſt auxilio, huic te commendavi, adjecto peregrinationis voto, cui niſi conſentias, impietatis reus omnino judicaberis; Acceptavit perliberaliter obligationem ab alio contractam, nec contentus, inſuper novo Religionis noſtræ ſuſcipiendæ voto ſe nuncupavit: ſed Mars Ottomanicus, qui eodem anno è Turcia in Hungariam, tot cædibus incendijs, & depopulationibus eruperat, executionem illius in feliciora tempora reſervavit. Poterat hic juvenis dicere cum Ven. Thom. à Kempis, ſolil. an. c. 24. *unde hoc quia reviviſcit intra me ſpiritus, & omnia interiora mea gaudio perfunduntur, quoniam bona, & jucunda, per te mihi nunciata ſunt: triſtis eram, ſed nunc gaudeo, propter vocem tuam, vox enim tua dulcis in auribus meis, gravatus eram, & deſolatus, ſed nunc relevatus ſum, & confortatus, miſiſti enim manum tuam de alto,*

& teti-

Digitized by Google

& tetigiſti me, convaluiq; de infirmitate, vix loqui poteram, ſed nunc licet etiam cantare, & gratias tibi magnifice agere, hæc ille.

§. 71. *Ambuſta facies ſanatur.*

1664. CUrioſitas generis fæminini eſt: Mulier quædam Suſanna Pempetricz Zagrabienſis, ipſo die Reſurgentis Dei hominis, curioſius pulverem pyrium, quem feſtivis exploſionibus in lætitiæ ſpiritualis conteſtationem, vir quidam deſtinaverat, manibus contrectandum ſuſcepit, neſcitur deinde, cujus vel petulantia, vel caſu, injectus ignis, miſeram in manibus, & facie quam fædiſſime amburit, unde opprobrium deformitatis, ad mortem uſque, haud temerè ſe laturam ariolabatur: mæſtiſſima hæc dies non ad cantum *Alleluia*, ſed planctum *miſerere* Suſannam impulit, ſuggeruntur eidem media, ſed illa rejectis humanis, divina prius ſectanda ſuſcepit, Virginem Remetenſem pro vultus ſui reſtitutione, modeſtiſſime interpellat. dignaretur, ut quæ pulcherrima olim fuiſſet mulierum, cujus in labijs gratia diffuſa, cujus facies nigra, & formoſa, nec ſe, tam infelici caſu, in maximum fortunæ ludibrium, eſſe tam deformem; impetravit quod voluit, viſa enim facies ſuos repetere colores, & abſterſa fuligine, ne veſtigium apparuit turpitudinis. Rem vanam petijt hæc mulier, formam videlicet exteriorem, & impetravit, non impetratura, ſi corporis pudicitiam, eâ formâ proſtituere voluiſſet, *facile* inquit B. Laur. Juſt. ſerm. de Aſſumpt. *obtinebimus à Maria, quod petimus, ſi intervenientibus ejus meritis, ipſius ſectati fuerimus, pietatem mentis? corporis pudicitiam, ac ſanctimoniam vitæ.*

§. 72. *Agricola contractus toto corpore erigitur.*

1664. HOmini qui in ſudore vultus ſui, veſci debet pane ſuo, nil intollerabilius accidere poteſt, ac corporis ægritudo, id ultro fatetur Paulus Giureczicz Colonus Poſſavianus, qui integro anno, toto corpore conſtrictus, globum potius, quam hominem, aut hominis ſimulachrum referebat; jam æconomia ejus tota fere conciderat, cum ecce Maria Remetenſis miſerata hominis, ſe piè invocantis, ſortem, ſolutis nervis, membra ſuæ libertati reſtituit, merito eam S. Ephrem Syrus ora. de Laud. B. V. ſic ſalutat, *Ave noſtra Conſolatrix, quæ mærores ſedaſti, & oppreſſorum moleſtias leniſti. Ave firma ſalus univerſorum Chriſtianorum, ad te ſyncere recurrentium. Ave noſtra omnium protectrix inſignis, ac gloria.*

§. 73.

Digitized by Google

§. 73. *Graviſſime decumbens ſanatur.*

1664. A*Mici divitium multi propter dona* inquit ſapiens; dico & ego, Amici, & Clientes Mariæ plurimi, propter ejus beneficia, talem ſe lubens volens agnoſcit Fabianus Berenski, Patria Zelinenſis, qui eo infirmitatis malo laboravit, ut ultimum vitalis lineæ punctum, jam à circumſtantibus attigiſſe crederetur. In hoc acerbitatum ſuarum pelago, jam pene ſubmerſus, beneficium Mariæ Eremitanæ expertus eſt, propter quod ſanitatis donum, Cliens, & Amicus Virgini factus, eam ſibi toto vitæ tempore colendam propoſuit, ſingularis morientium Advocata eſt Maria, quam narrat Anſelmus; ut eſt apud Joannem Gerſon Trac. 6. in Magnificat, cuidam morienti adſtitiſſe, & interrogatam, quæ nam eſſet? Reſpondit, *ego ſum Mater & Regina miſericordiæ.*

§. 74. *Pes verminoſus ſanatur.*

1664. PUella quædam Selinenſis audita miraculi fama, qua Eliſabetha Babicka, interventione Virginis Remetenſis, à fatali, & pene incurabili capitis vertigine liberata ferebatur, & ipſa quoque concepta in eandem Thaumaturgam Virginem fiducia, à verme noxio, qui totum jam pene pedem, non ſine intollerabili narium, oculorumque horrore exederat, ſe liberandam fore crediderat: emiſſo itaque jurejurando præſtandæ, ſi ſanaretur, gratitudinis, vermis primo emoritur, cadente dein putrida, emortuaque carne, alia ſuccreſcit, & pes qui varijs medicamentis, in deterius quotidie vergebat, inviſibili ſine dubio ope, ſuo vigori reſtituitur. *Ad Mariam* ait D. Bernar. *ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum, reſpiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & nati natorum, & qui naſcentur ab ipſis.*

§ 75. *Calores extinguuntur.*

1664. QUod nubes imbrifera coquente deſuper ſole, languidis eſt floſculis; hoc Maria noxio dominante interius calore, eſt febrientibus, id confirmat Puella quædam Hellena Vallok, quæ præcordiorum æſtu nimiopere ſe exuri ſentiens, à Maria Remetenſi, velut nube rorida, gratiarum

Digitized by Google

tiarum pluvijs ſemper turgida, ſe refrigerari inſtantiſſime petijt, & mox etjam impetravit, ad rem D. Bernardinus Senen. in Caput 14. Apoc. *ſicut nubes modico vento agitata, velociter movetur, & imbrem fundit, ſic Virgo Maria modicum pulſata, pro peccatoribus intercedit.*

§. 76. E Phraneſi puer convaleſcit.

1664. MArtinus hic audiebat, ex Chicz, puer biennis, hic ſpacio decem dierum creberrime eo morbo correptus, pene Matrem in deſperationem adduxit, quæ niſi ſupplicabunda, pro filio ſe Virgini Remetenſi voti ream conſtituiſſet, ille ſine dubio hominis, & iſta Matris, nomen perdidiſſet, ut primum autem Mariæ Nomen ingeminavit, mox Phræneſi, exitiale eſſe deprehendit, quando non tantum puerum tunc reliquit, ſed & impoſterum omni metu ſecurum conſtituit. Quam ſanĉte de hac ſacri Nominis virtute, Petrus Riga

Vt procul unguenti diffuſio ſpargit odorem,
Sic Nomen Mariæ diffundit ubiq; vigorem,
Multis conſulitur Mariæ hoc in Nomine morbis.

§. 77. Senſus reſtituuntur, imò vita redit.

1664. HAbuit Anna Berticz Ven. Capituli Zagrabienſis Colona, Puellulam Martham nomine, fatali morbo obnoxiam, accidit, ut feſto Divæ in cœlos Aſſumptæ, bona mater templum ſatisfaciendæ pietati, ac præcepto Eccleſiæ ſubiret, cum interea puella præſentibus domi non paucis, urgente morbo, ſic uſura ſenſuum, & auræ vitalis repente privatur, ut difficile judicatu fuerit, animanè in angulo corporeæ domus incognita adhuc deliteſcat, vel hoſpitij pertæſa, in patriam, qua non pridem venerat evolarit. Fateor mi Lector legiſſe me, & accepiſſe ab alijs, puellam dictam, omninò tunc è tabula viventium proſcriptam, tribus horis exanimem, juxta ſua expectaſſe, ita enim Mater, ita plures alij teſtati ſunt, at ſimulat ſe nonnunquam anima hominis non eſſe domi, eſto ſit, & populus ſimplex decipiatur; cui fides, niſi res manifeſta ſit, tam leviter haud adhibenda eſt; præterquam quod ſcriptorem cautum eſſe ex Eccleſiæ præſcripto oporteat, ne falſis prodigijs, velut fictitijs, coloribus, ſplendori Divino, Marianoque, aliquid adjicere videatur: ſed ad lineam. Mater interea è Templo re-

Digitized by Google

dux (nunciatum ei quippe fuerat, filiam jam naturæ debitum reddidiſſe) velut funeſtæ tragediæ princeps ſpectatrix, filiam, ut putat defunctam amplexatur, quonam? & quare inſalutata matre abijſſet? rugitu, ac voce crebris ſingultibus intercepta interrogat, ſimul compoſitis turbatæ mentis fluctibus. O Virgo ait, plus tua potentia facere, quam mea linguæ infacundia petere novit, per illum doloris gladium, quo moriente Unigenito, ſub cruce olim percuſſa fuiſti, rogo, & obteſtor, mæroris præſentanei, te aliqua ad ſuccurrendum moveat compaſſio, da filam meæ conſolationi, & accipe ancillam Tuo honori. Ego Sacram Eremum tuam, ſæpiùs regratiandi beneficij cauſa percurram. Mirum vix mentio injicitur Mariani Nominis, & puella trihorio ſenſuum, & forte vitæ ipſius expers, primo manum dextram retrahit, pulſo dein mortuali pallore vox, calor, vita, ſanitas integerrime redijt. Veriſſime Bernardus ô *Maximè pia, multum admirabilis Maria! Tu nec nominari potes, quin ſtatim recrees affectus diligentium te. Pugnat nonnunquam Maria miſericordia cum filij juſtitia*, ut ait Rich. à S. Laurentio l.2.p.1. de Laudibus B.V. *Fitq; ut dicat filius illud Deuteronomij 32. Ego occidam, reſpondet Miſericors Mater, & ego vivere faciam, iterum filius, percutiam; denuò Mater; & ego ſanabo, & non eſt morbus, qui de manu mea ſervum meum poſſit eripere.*

§. 78. *Paralyſis curatur.*

1664. HOc anno ferreum ſatis cœlum expertam ſe ait, Maria Puſinska, ex Berdovecz, paralyſi affecta, tanto miſerior, quantò impotentior, ad ſe à latere, movendum ad latus, quo factum, ut diuturnitate ſitus, aperiri videretur quodammodo, in corpore ejus vermium officina, quorum graveolentia abominationi fuerit, ijs etiam, qui fætoribus à conditione aſſueti, ſuaviora ſuffimenta, nullis habent in delicijs, ſanata tandem, non niſi ope Remetenſis Deiparæ, in cujus pietatem, mulier, omne ſpei ſuæ momentum collocarat. Ergone ſperandum in Mariam? omnino; eſt enim mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & S. ſpei; ſed interrogare quis poſſet cum S. Eliſabetha ex Ordine S. Benedicti Sanctimoniali, ut legere eſt, lib. 2. viſionum ejuſdem Sanctæ c. 6. Virginem Mariam, *Domina mea quid de te ſperabo?* *cui* proculdubio idem reſponderet, quod dictæ Eliſabethæ: *bonam gratiam de me ſperare potes tu, omnesq;, qui fiduciam habent in me, mirificavit enim Dominus miſericordias ſuas in me.*

Digitized by Google

§. 97. *Peccator reſipiſcit.*

1665. QUiſquis Mariam fontem aquarum viventium appellaverit, non aberrabit, eſt enim vere fons Maria, quia æſtum humanarum cupiditatum refrigerat, ſitim ardentem rerum terrenarum extinguit, ſcelerum omnium ſordes abluit, unde vocatur à ſanctis Patribus, *Fons vitæ; fons ſignatus; fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam.* Ex quo fonte ſe lavit juvenis quidam, vitijs adoleſcentiæ adeo jam ſordidatus, ut Æthyops citius mutare pellem ſuam, & pardus maculas Jerem. 13. abluere, quam ille infames animæ, & conſcientiæ notas abſtergere potuerit. Sæpius ille, & propoſita elicere, & à Confeſſarijs conſilia emendicare, quidve facto opus ſit, ſedulo mente diſcutere cæpit, ſed major erat pravæ conſuetudinis vis, quam ut hiſce remedijs tolleretur. Et quid? cogitabat ille ſecum, nonne ſimplex ego, tot qui lapides moveo è cæno vitiorum exeundi, ſordidus non alio, quam ad fontem accedat, neceſſe eſt, qui vitiorum fuligine ſupra corvum, & carbonem denigratus eſt, apud eam ſe ſiſtat, quæ ſuper nivem, dealbata, nec actualis, nec originalis peccati macula unquam ſe notatam vidit: Age anima mea necdum de tua ſalute conclamatum eſt, novi ego quid Ber. ſerm. 2. ſuper miſſus intonet. *Si criminum immanitate turbatus, ſi conſcientiæ fœditate confuſus, ſi judicij horrore perterritus barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo; Mariam cogita, ipſam ſequens non devias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia pervenis in beatam illam nimirum Ieruſalem, ut ex te quoq;, tanquam vivo expoſito, pretioſoq; lapide, gravedine illa ſcelerum depoſita, ipſius ruinæ inſtaurentur.* Nec vana fuit hæc adoleſcentis opinio, Remetenſi enim Virgini, ut primum ſupplicem ſe ſe exhibuit, facile ſe poſt hac omnem pravæ conſuetudinis pertinaciam conſtanter triumphaſſe aſſeruit.

§. 80. *Contracta maleficio manus ſanatur.*

1665. QUanta nequitia ſit in ſagis quis rectius dixerit, quam qui ſe ab iiſdem præſtigiatum deprehendit. Matthiam Prigorecz nocte quadam, Meduſa infernalis, in ſuo lecto adoritur, ac manui dormientis maleficium cum dolore non immodico imprimit, ille experrectus brachium conatur extendere, ſed à conſtrictione nervorum omnium prohibitus, quid

Digitized by Google

ſibi faciendum, conſilium in animo cogit, hoc denique è re ſibi ſucceſſurum exiſtimat, ſi Mariam Remetenſem doloris, & maleficij ſui invocaret Æſulapiam; non dedignata eſt hominem conditione ruſticum, fortuna miſerrimum, abſtulit maleficium, & ſtupentibus univerſis, qui hominis infauſtum



caſum noverant, manus vigori priſtino reſtituta eſt. *Nemini* ait Anonymus *quantumcunque vili, quantumcunque deſpecto, ſinus Mariæ denegatur, Porta cæli eſt Maria, cunctis eam pulſantibus, ſine perſonarum directione aperitur.*

§. 81. *Dolor dentium curatus.*

1665. APoc. 12. ſcribitur mulier ſole amicta, & duodecim ſtellis coronata fugiſſe in ſolitudinem, ut dentem inſequentis ſe draconis effugeret: quid prohibet illam mulierem appellare Mariam? quæ, ut ſerpentis morſum, in origine ſua cautè declinaret, eſto non perſonaliter, in ligno tamen bicubitali effigiata, ſolitudinem montium Zagrabiæ vicinorum petijt; gratiarum thronum ibidem ſtatuens, omnibus morbidis, ſe interpellantibus, non defutura patrocinio, & ope. Ad hanc mulier quædam Lucia nomine, confugiens, ut quæ ſerpentini dentis dolores evitaverat, rogabat, ſuorum etiam dentium incommoda averteret, fore, ut hi dentes inſtrumen-

tum

Digitized by Google

tum fierent decantandi beneficij Mariani. Felicem ſe hæc mulier reputare potuit, ita enim velociter ſe exauditam ſenſit, ut ab ea ſtatim hora dentes ſibi injurij eſſe deſierint. Civitas Refugij eſt Maria in deſerto, unde S. Joannes Damaſ. ſerm. 2. de dorm. B. V. in perſona Deiparæ loquens ait, *Ego civitas refugij ad me confugientibus*; infert S. Bonav. in ſpec. B. V. lect. 14. *Fugiamus ergo, & confugiamus ad auxilium Matris Domini in omnibus.*

§. 82. *Febres pulſæ.*

1665. IN montibus præaltis etiam ferventiſſimo ſæpe tempore perſeverant nives, philoſophicam hujus rei non indago rationem, dicerem enim uno verbo, quia alti montes elevantur ad ſecundam aëris regionem, in qua perpetuum dominatur frigus, ſic diſponente natura ad ciendas tempeſtates; myſticam tamen rationem, quam putas aſſignarem? certe non aliam, niſi quod nix refrigerium deſignet, mons vero juxta S. Greg. in l. Reg. 1. Deiparam adumbret, hæc igitur ratio, cur nives in montibus, quia ſcilicet mons Domini benedictus, Virgo Deipara, ſemper tenet refrigerium, quod ab æſtu refocillat gratiſſimum. Experta eſt in calidiſſimis, quibus toto anno urebatur febribus Puella quædam, Catharina nomine, ex Ivanez, utprimum enim Deæ montium Zagrabienſium, Mariæ inquam Remetenſi febriles ſuos æſtus tranſmiſiſſet, viciſſim ab ejus gratiarum nivibus refrigerium ſanitatis accepit.

§. 83. *Calores mitigati.*

1665. IUvenem quendam Nicolaum nomine, & Marcum Krayachicz, calores ita excoxerant, ut ambo ceu matura poma, uncino mortis, jam jam ex arbore vitæ decerpendi fuiſſent, niſi opem Virgo Remetenſis tuliſſet, & Marcus quidem extremæ lineæ jam admotus, mortualem lychnum ritu orthodoxo manibus complectebatur, cum civem quendam Zagrabienſem conſpicatus; Mi frater ajebat, quæſo Remetam quantocyus abi, miſſæ ſacrificium coram Thaumaturga Virgine celebrari facito, en candelas binas, quas tecum accipies ad aræ miniſterium arſuras; abijt ille rogata facturus, ſacroque finito, ad infirmum redux, & ecce caloribus noxijs jam exutum, juſtam in ejus corpore quatuor primarum qualitatum temperaturam deprehendit. Quid putas Lector? an erraſſent gemini hi æſtuantes infirmi, ſi quilibet eorum, ſic cum S. Germano Archipræſule Conſtantinop. Mariam affatus

Digitized by Google

tùs fuiſſet, *ô Domina mea, Tu ſola mihi ex Deo ſolatium, ſola æſtus in me exiſtentis Divinus ros, cordis mei exardeſcentis, gutta Divinitus fluens, debilitatis meæ potentia, lacrymarum mearum abſterſio, gemituum meorum ceſſatio, ſalutis meæ ſpes, & fiducia, Tibi laus, tibi honor in ſæcula.*

§. 48. *Maleficia ſublata.*

1665. MArtinus Chakanicz ex Kereſtinecz, ſagarum maleficio adeò gravem corporis languorem incurrit, qui eidem omnem hinc inde ſe movendi, incedendique facultatem interdixit, jacuit miſer quaſi truncus, & inutile lignum, nec erat in humanis, qui ſubſidio adeſſet, levavit igitur oculos ſuos in montes Remetenſes, unde veniat auxilium ſibi, & en interventu Potentiſſimæ, prodigiorum Operatricis, auxilium ei venit à Domino, qui fecit cœlum, & terram, quam ille gratiam, adductis ſecum teſtibus, in loco ſacro lubens confeſſus eſt. Secure pete ô homo, quidcunque pro ſalute tua vis à Deo, dummodo Matrem pro ſuffragio habeas, docet te id ipſum D. Bernar. Serm. ſuper miſſus his verbis, *ô homo ſecurum habes acceſſum ad Deum, ubi Mater ſtat ante filium, & filius ante Patrem, Mater oſtendit filio pectus, & ubera, filius oſtendit Patri latus, & vulnera, nulla ergo poteſt eſſe repulſa, ubi tot concurrunt amoris inſignia.*

§. 85. *Sciatica medetur.*

1665. COriarius quidam, viſitando conſanguineos, ſciaticæ doloribus adeò correptum ſe ſenſit, ut laboribus opificij ſui conficiendis, aliquamdiu omninò ineptus fuerit: aderat tum illi amicus, qui neſcio, quæ morbo avertendo, medicamenta conſuluit, ad quem infirmus, ne ego mi frater incerta certioribus præferam, humana Divinis, novi ego ſæpiùs mihi è Cœleſti Apotheca ſubminiſtrata benevolentiæ antidota, à Miſericordiſſima Remetenſium Patrona. Et nunc ejus patrocinio firmiſſime ſpero me, tuis abſque conſilijs ſanatum iri; mox voto facto de confeſſione, & ſynaxi facienda, duabus item candelis ſacro dicendo deſtinatis, valetudinem, omnium admiratione conſecutus eſt. Monet proinde S. Bonavent. *Sperate in Mariam omnis congregatio populi, effundite coram illa corda veſtra, nullus enim ſperavit in eam, & confuſus eſt.*

§. 86.

Digitized by Google

§. 86. *Manuum pedumq́ uſus reſtituitur.*

1665. HOc Anno duæ Perſonæ Catharina nempè Pataricz, ex Ivanecz, manum dextram, Margarita verò Kolar, ex Potavie de Nova Arce, etiam ſiniſtram, nervis ſuis illigatam, circumferentes, ad lucrandum panem ſibi ipſis deeſſe cogebantur. Tandem hæc in ſomnijs, illa verò à malo ipſa admonita, Sacramento ſe ſe adeundæ capellæ Matris in Eremo admirabilis, obligarunt, & continuo vigor venis, & oſſibus ſe inſinuans, manus deinceps laboribus idoneas adaptavit.

Sed & Georgius Petzlachicz, & Magdalena Milchich, Michael item Horvat, ex Szuſſed, longo tempore, incurabili pedum malo laborarunt. Nulla certe emplaſtra, radices nullæ apud obſtinata membra efficere potuernnt, ut integritati ſtuderent. Una erat Maria Remetenſis, cujus ſuffragio, ſe omni ope deſtituti homines ſubmiſerunt, hæc miſerorum conditione facile perſuaſa, pedes ſuo iterum juſſit fungi ambulationis officio, *non eſt crede mihi* ait Martinus de Magiſtris in Salve Regina, *in detergendis propellendisq́ calamitatibus, vis minor Maria, quam in ijs cognoſcendis, ac deprehendendis, nulla eſt calamitas, quam non diſſipet, nulla adverſitas, quam non diſperdat, nullum miſeria genus, quod non divino freta robore avellat.*

§. 87. *Tumor ſedatus.*

1665. UBi *non eſt mulier* ait ſapiens *ingemiſcit ager*: vult dicere, ubi Maria non auxiliatur, actum eſt cum infirmo. Quæratur ex Gregorio Machinich Szelinenſi Colono, ſi verum ſit? reſpondebit veriſſimum: miſer eram tumore corporis, velut uter inflatus, factus mihimet ipſi gravis, in tantum, ut è lecto ſurrecturo, ne membrum quidem, ad ſe movendum pareret. Præterea fortuna pauperibus plerumque iniquior, omnem mihi conſulendorum medices peritorum, facultatem ademerat. Igitur quid cœli poſſint periclitatus, Mariam Remetenſem, tumidus licet, & inflatus, corde tamen humillimus invocavi, jurejurando in aliquo me gratum fore pollicitus, ſi juvaret. Et ô magnam Deiparentis in me pietatem, ſenſi illico humorum abundantiam, ſenſim ſine ſenſu diffluere, tumorem evaneſcere, & antiquam redire membrorum habitudinem; nemo jam ibit inficias, quæ Cæſarius loquitur, lib. 1. mir. c. 1. *Apud Mariam Electuaria ſunt confortativa, unguenta ſanativa, Nomen ejus ſuper mel dulce, infirmis, & morientibus aſſiſtit, & mortuorum animas ad vitam perducit æternam.*

§. 88.

Digitized by Google

§. 88. *Paralyticus ſanatus.*

1665. IS fuit Matthias Pokupecz ex Puska, qui poſtquam adipiſcendæ valetudinis gratia omnia tentarat, tandem meliora tenebat, Virginem nempe Remetenſem, qua una excluſis Galeni, & Hippocratis inſufficientibus remedijs, ſanitatem conſecutus eſt. Beneficia Mariæ hominibus ſemper parata ſunt, & *ſicut ſol radios ſuos ad cubile immittit, ſi ei porta vel feneſtra aperiatur* (conceptus eſt Richardi à S. Laur. lib. 7. de laudibus B. V.) *ita Maria ſtans ad oſtium, & pulſans, ſi apertum fuerit, continuo gratias & beneficia ſecum infert.*

§. 89. *Dolor oculorum ſedatur.*

1665. FÆmina quædam ex nova Arçe, prope ripam Savi, nomine Clara Siczecz, oculos habuit minime claros, quorum intemperie factum, ut nimijs doloribus laboribuſque obruta, & laborando doleret, & dolendo laboraret, reperit tandem efficax contra noxios oculorum humores collyrium, præſentiſſimum nempe Marianæ pietatis à ſe invocatæ ſuffragium: Res mira! qui ſanis oculis ſolem hujus mundi fixe intuetur, caligare incipit, Clara tamen noſtra, utprimum oculis caligantibus Mariam, quæ electa eſt ut ſol, contemplata eſt, videndi acumen reportavit.

§. 90. *Morbidum guttur ſanatur.*

1665. RIdendus merito, qui quæſiturus ignem, ad fontem properaret, at nunquid non ridendus etiam, qui pharmacopæum aditurus, eremum ſubintraret, ubi minus de igne, quam in fonte, & ubi minus medicinarum, quam in ſolitudine? negat tamen hoc ſecundum Urſula Tunkovicz, ex Ivanecz, hæc enim tumore gutturis longiuſcule vexata, non alio, quam ad Eremum Marianam pro remedio accurrerat, ibique lætabunda reperit, quod ei vix univerſa tot Urbium Pharmacopæa, cum tanta ſanitatis perfectione contuliſſent. Neque hoc tantopere mirandum, Maria enim ab Eccleſia Civitas Refugij appellatur, hæc autem ut patet Deut. 4. Joſue 20. num. 35. non alibi niſi in ſolitudine extructa fuit.

§. 91.

Digitized by Google

§. 91. *Febres ceſſant.*

1665. NIhil loci hujus agreſtibus, ſanitate amabilius, cujus defectum, ſi humana non ſuppetant, cælitus remedia ſanativa depoſcunt. Erat Ruſticellus quidam, Nicolaus Jaguſtovich, ex Berdovecz, maliginis febribus longiore tempore correptus, ut æſtum hic ſuum refrigerio temperaret, Mariæ, ſub umbraculo Paulini Eremitorij latitanti, pie ſe commiſſit, mox etiam refrixit, juſto corporis temperamento, devotione tamen magis, quam antea æſtuare cæpit. *Quanta pietas cœlorum Regina quæ ſimplicisſimorum hominum flectitur precibus, quos divites hujus ſæculi, ne obliquis intuerentur oculis; quis deſcribet condignis laudibus, hanc Mariæ in egenos, & deſpicatos humanitatem, ego ad hoc faciendum non ſatis ſufficientem me puto*, Anonymus in Mariali lib. 2.

§. 92. *Ruptura medetur.*

1665. DE hernioſo dicitur proverbio, nec pellis tam bona, quæ viſcera ejus retineat, de Juda hoc dicatur, qui *ſuſpenſus crepuit medius*; non auſim ego hoc de quocunque aſſerere; Paulus enim Szuirchich, ex Ivanecz, ſub Szuſzed, quem virum bonum, & propria converſatione, & vicinorum teſtimonio habemus, hoc de ſe cani haud pateretur. Erat ille qui labore manuum, ſibi, ſuiſque proſpecturus, aliquando viribus ſuis impar onus bajulandum ſuſcipiens, effuſis illijs, hernioſus effectus eſt: Putabat ille jam mortis ſub falcem, ſe ut victimam cecidiſſe, inſcius, quæ morbi illius ſit conditio; interea ne diutius feriando, etiam longius ſine pane, quo fere ſolo, vivit homo agricola, eſſe cogatur, de adhibendo remedio ſollicitus eſſe cæpit. Sed mi Paule quid vis? *inſanabilis eſt fractura* ait Jerem. herbis, & unguentis, ſorbitiunculis, & cataplaſmate non redintegratur, ad Virginem abi Remetam, illi ſoli hic honor curationis reſervatus eſt, ſuadet id tibi Bernard. Serm. ſup. miſs. *Per Mariam ait ſolidantur confracta, recuperantur perdita, renovantur vetera, roborantur infirma, magnificantur minima, exaltantur infima, incepta promoventur, infecta perficiuntur, perfecta conſervantur*; Fecit ille, & experimento didicit, conſilium fuiſſe minime vanum.

§. 93. *Gravis morbus ſublatus.*

1665. NE in extraneos tantum beneficia ſua profunderet Maria Remetenſis, etiam domeſticis deeſſe noluit. Colona fuit cænobij Remetenſis

Digitized by Google

tenſis, Helena nomine, cui gravis admodum infirmitas, plus quam quarta anni parte, rationis uſum ſubtraxerat, ſic ut ſola phantaſia in ejus cerebro locumtenentis officio fungeretur; Attamen, ut ut erat mentis impos, mirabilium operatricis in Remetenſi Sanctuario haud immemor, eo cogitationes ſuas mittere deſtinabat, quæ ei optatum valetudinis nuncium à Maria reportarent: nec fefellit illam opinio, nam & ratio ſuum mox cœpit repetere hoſpitium, & valetudo rediens, æmulam infirmitatem è ſede corporis quantocyus profligavit. Nemo igitur ne inſanientes quidem à Maria repelluntur, quin imò ut D. Bonavent. Pſ. 11. Canit *gyrum cæli ſola circuit, eo fine, ut ſubveniat invocantibus ſe.*

§. 94. *Epilepſia curatur.*

1665. GRammaticis caducum, idem eſt ac vanum, non item Medicis, ajunt enim morbo caduco laborare, rem eſſe minime vanam, nam quod mentem eripiat, hominem humi ſternat, ſenſus liget, motus aſpectu horrendos cieat, quis hoc ludricum affirmare auſit? Quæratur ex muliere illa Anna, Oklikio oriunda, quæ aliquando eo morbi genere miſerandum in modum affecta, nihil hac caducitate intollerabilius judicavit, qua ut ſe quantocyus expediret. Eremitanam Divam in ſua vota ſollicitavit, vitam illi tranſcribens ſuam, ſi gratiam ſanitatis impertiretur. Audijt pia Virgo, & illico morbus ille evanuit, merito ergo caducus, quia vanus.

§. 95. *Exanimis redivivus.*

1665. VIr fuit ex Styriæ partibus Sclavoniæ vicinis oriundus, nomine Achatius Prenner, hic mortuali culcitræ affixus, nequidquam proficientibus medicinis, naturali illi præcepto, quo ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, morem gerere coactus eſt, jam duabus horis viduatum anima remanſit corpus, nullus in eo ſenſus vitæ, nullum animæ inhabitantis veſtigium, omnes Chriſtianum illiud eidem apprecati ſunt, *requieſcat in pace.* Forte cognatis, qui mortui exuvias circumſteterant, ſiniſtrè accidit ejus fatum, idcirco ut ſibi fortuniſque ſuis, quibus præjudicatum erat, conſulerent, extinctum amicum, ad aram Divæ Eremitanæ noſtræ in carro, devehunt, cœlum omne inclamant, miſericordiam Magnæ Matris, per omnes quas habet gratias obteſtantur, daret vitam defuncto, ſimul & fortunam una ſecum reſuſcitatum iri, quod ſi fecerit pollicentur ampliſſimas pro

facul-

Digitized by Google

facultatibus ſuis ſe relaturos gratias, vix verba compleverant, & mortuus ſe vivum miratur, aram contuetur, gratiam agnoſcit, & lætus cum cognatis ad propria revertitur, ubique veſtigia grati animi per viam relinquens. *Cui*



te aſſimilabimus ait mellifluus Doctor in deprec. ad B.V. *O Mater pulchræ dilectionis? vere Paradiſus Dei es Tu, quia lignum vitæ, mundo protuliſti, de quo qui manducaverit, & ſi mortuus fuerit, iterum vivet.*

§. 96. *Varÿ Morbi pulſi.*

1666. JUvenis quidam ex Oborovo, Matthæus nomine, Mulier item Margarita, cum Petro quodam, ambo ex Puſchie: Alia quoque fæmina Catharina, ex Opechnik, Colona D. Szakmardi, calore febrium æſtuantes, pro refrigerio, Marianum in Eremo noſtra umbraculum ſubierunt, & voti compotes effecti ſunt, Mulier item Magdalena nomine ex Ztupnik, gravi pedum dolore laborans; Helena quoque ſic dicta ex Niartha, & Lucia quædam, Colona Domini Com. Emerici Erdeödi oculorum debilitate preſſæ; Elizabeth, & Helena acerrimis pectoris cruciatibus afflictæ; Puer demum ex Juanecz, tumore totius corporis male affectus; Et Georgius Szugecz,

Digitized by Google

gecz, cum Catharina Kaſznarich, magnas cordis puncturas perpeſſi; ſed & Michael aliquis, ex Ztupnik, gravi & periculoſa admodum, ac propemodum incurabili infirmitate laborans: Hi omnes voto ad Mariam Remetenſem facto, divinitus, ut creditur, convaluerè. Accedit Puella quædam ex Stzubicza, nomine Dorothea Laborich, gravi oppreſſa catharro, & jam fere mortua. Fabianus Phillipich ex Juanecz, cui longiori tempore exacerbatus nimio dolore pes, ambulandi officium recuſavit; Puer item Petrus Vinczek, ex Berdovecz, nocturnis terroribus multo tempore exagitatus; Margarita Perich, ex Buziakovina acerrimos dolores capitis eouſque perpeſſa, quod amplius rationis, & ſenſuum impos, diſcernere neminem quiverit; Margarita quædam periculoſe globo trajecta, omniſque humani ſubſidij, & ſpe longioris vitæ expers. Helena Marchicz ex Selin, & Marcus quidam, dentium furijs vix non ad inſaniam redacti; Margarita demum Bartulich, ex Berdovez, partus doloribus excruciata. Singulæ hæ perſonæ, utpote tenuioris fortunæ, non auro uti divites, ex pharmacopæis, ſed precibus, & ſuſpirijs ab ea, quæ Salus Infirmorum eſt, vitam & ſanitatem redemerunt: *Vere deſiderium pauperum exaudit Maria, præparationem cordis eorum audit auris ejus.*

§. 97. *Semimortuus repente convaleſcit.*

1666. NOn prætereundus hic Gregorius Nemak, Tranſmontanus, ex Jablonovecz, Colonus D. Joannis Szakmardi, cujus diuturna infirmitas jam mortem in ſocietatem adſciverat, ut nihil niſi hominis interitus reſtare videretur. Jam etiam fata officium ſuum in eo exercuiſſe credebantur à circumſtantibus, quando hora integra, ſine ullo corporis cenſu, oriſque halitu, ut funus jacuit. Verum cognati voto ad Remetenſem aram ingeminato, pro agonizantis valetudine ſolliciti, prodigioſam eidem ſanitatem promeruiſſe videbantur, quando præter omnium expectationem ſubitaneo vigori reſtitutus, ipſemet jam non æger, comploſis manibus Cœleſti Æſculapiæ, non argenteos nummos, ſed aureas gratiarum actiones pro ſubſidio cœlitus miſſo perſolvit. *Non eſt Maria,* ut ait Anſelmus l. de Excell. B. V. c. 12. *exoratu difficilis, quia proculdubio benigniſſimus ejus filius, illi eſt, ad concedendum quidquid volet, promptiſſimus, tantummodo igitur velit ſalutem noſtram, & nequaquam ſalvi eſſe non poterimus.*

Digitized by Google

§. 98. *Manus contracta denuò flectitur.*

1666. FAber erat ſerrarius, Zagrabiæ, Nicolaus Szitnich appellatus, cujus ars tota ſtetit in manibus, ſed quia ſiniſtram, eventu ſiniſtro ſtupefactam ſenſit, ne laborioſæ arti longiores cum diſpendio fortunæ, daret ferias, ad pharmacopæos abit, at illi nihil ſibi eſſe cum fabris, ferro tantum, non argento divitibus, reſponderunt. Ergo faber noſter ad illam, quæ Fabri filium, huic mundo peperit, converſus. Tuam ego poſt hac ô Virgo ſacram Eremum non ingratus adibo, ſi Jeſulum tuum, ulnis ſacris inſidentem, in vota mea flexeris, erit ille mihi, & arti meæ propitius, nam & ipſe naſcente mundo Faber, *fabricatus eſt auroram, & ſolem*: plus ego utrique veſtrum, quam Vulcano meo, & univerſis Cyclopibus ejus, me debere profitebor; dixit; & manum antea ad labores obſtinatam, ad omnem poſthac nutum flexibilem ſenſit. Liceat cum Bapt. Mantuano canere paucis immutatis, lib. 1. Parthen.

Quot ſubjecta gravi ſervavit brachia morbo?
brachia pæonias, quæ non valuere per artes
reſtitui, vegetat, vireſq; refundit in artus.

§. 99. *Cæcitas abacta.*

1666. SI fides non abroganda Majolo, reperiuntur caniculi qui Nutricios ſuos cæcos, quotidie Romæ, ad alias, & alias ducunt Eccleſias, ubi videlicet pro ratione dierum indulgentiæ fidelibus, & elemoſynæ pauperibus tribuuntur. Tali ductore caruit Anna Blaſich, Vidua ex Berdovecz, duabus jam ſeptimanis, circa dominicam Paſſionis, oculorum caligine ad ipſam cæcitatem devoluta. Novit tamen illa ſe Romam habituram etiam iu Orbe Sclavonico, nempe Eremum Marianam, ubi præter indulgentias, Eleemoſyna quoque, donum intelligo viſionis, omni auro nobilius conſequeretur, ſed quia, ut dixi ductore caruit, mente ſaltem eo converſa, mox diſperſa oculorum caligine, totum ſolem, oculis ſuis involaſſe ſenſit. *Cæcum eſt genus humanum, viam mandatorum Dei oblique ambulat, in foſſas peccatorum lapſu facillimum: ad Mariam ergo clamet profer lumen cæcis; deduc me in ſemitam mandatorum Dei, eripe me de luto, ut non infigar, de profundis clamavi ad te, Domina exaudi vocem meam, hæc Anonymus.*

Digitized by Google

§. 100. *Dolor pedum ſanatur.*



1666. BInæ mulieres geminum hoc anno obtinuerunt beneficium, earum una Catharina Pollechak, ex Berdovecż, & altera Helena nuncupata, ex Nova arce, Colona D. Comitis Emerici Erdeödi, quarum prior deſperabunda, jam, quod ſeptennio integro non ambulaverit, ad Mariam in Remetenſi miraculorum ſolio corruſcam, non quidem pedibus, ſed ſuſpirijs, votorum ſuorum nuncijs confugit, & poſt pauculos ſoles interpoſitos, atteſtantibus non paucis, miſericorditer exaudita eſt. Altera verò in peregrinatione conſtituta, inopinato caſu, pedem, ad opus tam pium proſequendum, non ſine acerrimo dolore contumacem ſenſerat. In via erat, & quo ſe verteret ignorabat: ergo facie ad eremum gratiarum converſa, ô Maria ait, en in labore tuo me occupatam vides, omnia membra mea ad te feſtinant, ſolus pes, pietati meæ ponit obicem, frange quæſo ejus proterviam, ut conſentiat, faciam, ut quotquot ille greſſus fecerit, tot tibi honoris appendantur anathemata. Vix orare deſijt, & incolumis, ſine omni, ut ipſamet confeſſa eſt, mora, ſpectantibus etiam, & admirantibus peregrinationis ſocijs, ſurrexit è loco, & pedem poſthac non tam ambulandi, quàm

cur-

Digitized by Google

currendi deſiderio, promptiorem experta eſt. *Non poteſt non compati miſeriis noſtris Miſericordiæ Mater, nullum enim* ut ait Hier. Epla ad Euſtochium *in hac vita, adeò pœnæ torſerunt propria, ut Mariam aliena.*

§. 101. *Terriculamenta nocturna effugata.*

1666. ANdreas Græco idiomate virilem ſignificat, procul ergo à viro timor & tremor: At Andreas hic noſter ex Puſchie oriundus puer erat, qui in tantilla ætate, nil aliud fere didicit, quam formidare. Neſcio quos Cerberos infernales, ſibi noctu per phantaſiam longiori tempore ſenſit infeſtos, adeò clamoribus inſolitis ſemper querebatur parentibus, à nigro ſe cane poſtulari, nec vana hæc fuiſſe terriculamenta, totius corporis inſolitus tremor prodidit: itum ergo in vota ad Mariam Remetenſem, vellet Cerberum illum infernalem (nigredo enim talem fuiſſe facile perſuadebat) velut quædam Sybilla Virgiliana compeſcere, quod & factum eſt, puer enim ab ea hora, ne ſemel caninis rictibus ſe amplius appetitum aſſervit. Ad rem B. Germanus Conſtantin. Patriarcha. Or. de Zona B. V. *Tu ait ô Maria nequiſſimi hoſtis, contra ſervos tuos invaſiones, ſolà tui Nominis invocatione Sanctiſſimà repellens, tutos atq; incolumes ſervas; Tu implorantes te homines ab omni neceſſitate, ex omnis generis tentationibus opportune liberas.*

§. 102. *Graviter infirmus convaleſcit.*

1666. MArtinus Bendelin hic eſt poſt Savum oriundus, ex diuturniori morbo; non jam homo, ſed hominis umbra, & proxime futurum mortis ſpolium; adeo enim illum infirmitas lecto devinxerat, ut medio anno ne movere quidem corpus, niſi alieno quiverit adjutorio. Non ſic tamen lingua immobilitati ſuberat, quin eam in vota flectens, communem mortalium Patronam, in Eremo ſacra admirabilem, in ſubſidium evocaret. Mira res ut primum homo ille Mariam ingeminat, illico ſentit totum corpus naturam ſtipitis exuiſſe, membra ad officium redire, & paulo poſt morbum omnem evaneſcere. Quærit hic D. Bernard. *Quis ô Benedicta miſericordiæ tuæ longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum, queat inveſtigare, nam longitudo ejus uſq; ad diem noviſſimum, invocantibus eam, ſubvenit univerſis, latitudo miſerationis ejus replet orbem terrarum, ſic & ſublimitas ejus Civitatis ſupernæ invenit reſtaurationem, & profundum ejus ſedentibus in tenebris, & in umbra mortis obtinuit redemptionem.*

Digitized by Google

§. 103. *Varij morbi propulſati.*

1667. Fæmina quædam Catharina nomine, ex Opecznik, à febribus jam fere ad mortem uſque pertracta, voto Remetam nuncupato, eadem omnino die liberata eſt. Elizabet item Poliaki, ex Hruſicza, Piſcatoris cujuſdam Perſich, appellati, uxor, longo tempore ulceroſos pedes, ad nullum officium idoneos ſuſtinuit, demum meliori conſilio, relictis, quas in vanum adhibuit medicinis, ad thermas gratiarum in Eremo Mariana, voce, animoque confugit, mox pedes ſuos, in carnem, cutemque priſtinam redire animadvertit. Puella quoque Barbara, ex Ivanecz, longiori tempore timore horribili toto corpore agitata, facto voto, ad locum hunc ſacrum, illico convaluit. Mulier alia Helena nomine, præterquam quod diriſſimis laterum puncturis cruciaretur, pedum etiam dolore non modico, ad inſaniam fere redacta, tandem fruſtra adhibitis medicinis, ad Matrem miſericordiæ flebili obtutu reſpiciens, à duplici malo liberata eſt. Puella demum Barbara Urabich, Novakio oriunda, ternis vicibus, ob graviſſimos totius corporis cruciatus, ſpiritu vitali jam jam deſtituenda, à Virgine Remetenſi, quam Mater Puellæ ardentiſſime implorarat, eo momento alleviata eſt, ſenſim deinde, ſine ſenſu ex integro convaluit. *O Maria* ait S. Germanus Patriarcha ſupracit. Or. de Zona B. V. *Quis poſt filium tuum ita generis humani curam gerit, ſicut tu? quis ita nos defendit in noſtris afflictionibus? quis ita præveniens nos, ab irruentibus liberat tentationibus? Quamobrem is qui affligitur ad te confugit, qui injuria afficitur ad te recurrit, qui rebus aſperis, atq; adverſis eſt implicatus, tuum invocat auxilium.*

§. 104. *Morbus caducus ceſſat.*

1667. O Miſera mortalium conditio, naſcimur cum lacrymis, vivimus in miſerijs, morimur cum dolore; recte judicavit, qui dixit non tam libenter in hac vita moror, quàm morior. Fortaſſis non ſemel hoc in votis habuit, Simon Gerdinicz, ex Sztubicza, epilepſiæ malo, per menſem integrum miſerum in modum hinc inde jactatus, nemo erat qui mortem non ariolaretur, omni momento adfuturam, quæ filum longarum hujus vitæ miſeriarum, fatali tandem cultro præſcinderet; aliter tamen ſuperis viſum, ſervatus eſt pro ea vice Simon, non ſine manifeſto Virginis Eremitanæ, piè à ſe interpellatæ, beneficio, eoque malo, ab eo ſtatim tempore,

Digitized by Google

re, uti ipſe coram loci illius Patribus confeſſus eſt, omninò liberatus. Idem beneficium circa hoc tempus conſecuta eſt puellarum nonnulla, nomine Barbara, quæ eo malo ulterius etiam vexata, mirum cum morte bellum exercuit, in quo tamen aſſiſtente ſibi in adjutorium Virgine Remetenſi ſuperior evaſit. *Ut video* ait Cæſarius, l.7.c.25. *medicina B.V. nihil eſt efficacius, nihil ſalubrius, nec mirum ipſa Medicum genuit, ipſa medicinam humani generis produxit, Salvatorem mundi.*

§. 105. *Quatuor homines à dementia liberati.*

1667. LUna, ut Medicorum Princeps Galenus, & ipſa loquitur experientia, Melancholicis potiſſimum obeſt, quia organa cerebri perturbat, & mentis confuſionem inducit, unde ſtultitia oriri ſolet. Neſcio tamen, lunæ ne adſcribendum ſit, quidquid Paulus ille Ven. Capituli Zagrab. Colonus, & cum eo tres alij, videlicet Nicolaus Jaguslovicz, ex Berdovecz, alter item Nicolaus ex Sztubicza, demum Anonymus quidam, Catharinæ de Sztupnik filius, paſſi ſunt: hi enim omnes in horologio mentis, perturbatas cerebri rotulas, diuturniori etiam tempore ſenſerunt, & index lingua aliud notabat in verbis, quam ab intus ratio ſignare debuiſſet. Quid facerent? nihil enim in pharmacopæis quod tolleret, plurimum vero quod augeret ſtultitiam, reperitur; ad Deum confugerent? at ne hic, quam diu in terris nobiſcum converſatus, eſto omnis generis infirmitates ab hominum abegerit corporibus ſtultorum tamen ne unicum, niſi lunaticum quendam ſanæ menti reſtituit. In novam videbantur ex deſperatione ſanitatis cecidiſſe dementiam. Agite quæſo boni homines, ad prudentiæ ſemitas redire vultis, lunam, ah lunam reſpicite! at luna, organa cerebri perturbat potius, quam componit, ita eſt; luna quæ noctu ſplendet inter ſydera, non illa quæ interdiu etiam in plenitudine Sanctorum corruſcat; hæc enim *pulchra ut luna*, cum Virgo ſit Prudentiſſima, imò Sedes ſapientiæ, potens eſt, influxus dare vobis prudentiæ; fecerunt hoc illi cum dilucidis ſubinde fruerentur intervallis, & nemorum Cuſtodem Dianam (ſic lunam veteres appellabant) in Eremo Zagrabienſi, lucidiſſimis gratiarum radijs, toto orbe Sclavonico conſpicuam, ardentiſſimis votis interpellant, tolleret illis benigno influxu eam, quam luna illa pedibus ſuis ſubſtrata cauſavit ſtultitiam, ſe quidem quod homines ſint, Filio ſuo, quod verò rationales ſibi, referre in acceptis. Non potuit non miſereri Virgo, illico enim ſenſerunt melancholi-

Digitized by Google

cos depurari humores, & longius exulantem poſtliminio tandem redire prudentiam. *Quam bene* S. Amadeus hom. 8. de laud: B. V. *non ſolum ait animarum ſaluti verum etiam humanorum corporum ſanitati, pia diligentia providet, & medetur; in locis quippe Sanctitati ejus dicatis, claudis greſſum, cæcis viſum, ſurdis auditum, multis impetrat eloquium, amentibus etiam impertit rationem, curans omne genus languorum, præbensq; innumera beneficia ſanitatum, accedunt ad ejus limina confitentes delicta, & accepta venia, læti ad propria revertuntur.*

§. 106. *Pedum uſus reſtituitur.*

1667. NOn vulgare pietatis beneficium Benigna Virgo Remetenſis contulit, quando Catharinam Tenievecz, ſubditam D. Georgij Kriſanich, & Joannem Koczianich, Zomoborienſem, è gravi infirmitate pedum, quos vermis medulitus vitiaverat, liberavit; nam illi, vel unicum ſe amplius facturos greſſum deſperaverant, adeo non facultatem tantum, ſed & ſpem ambulandi vorax beſtiola miſeris ademerat. Sed Virgo illa, quæ olim pede ſuo vermis tortuoſi caput contriverat, pie in auxilium invocata, præſto adfuit, & importunum hoſpitem loco illo violenter à ſe occupato, exeſſe juſſit: ſic ambos greſſibus faciendis, non ſine prodigio pia Mater reſtituit. Canere mihi hic liceat cum Pontano lib. 5. florid. n. 3.

Non tot flumina piſcibus natantur;
Non tot aera remigant volucres,
Non tot æquora fluctibus tumeſcunt;
Non tot ſerta ſpicea geſtat æſtas,
Non tot aſtra micant tacente nocte,

Quot exempla tuæ benignitatis, humanum in genus, in tuos clicntes habemus ô Maria.

§. 107. *Cæci vident.*

1668. NOctem longiſſimam, ſex videlicet menſium, habere dicuntur Lappones, Septentrionales in Suecia Populi: at longiorem adhuc noctem in oculis ſuis ſenſerat, fæmina quædam Stubicenſis, integro anno, omnis amænæ lucis uſura privata. Huic annumeranda eſt Catharina Soſtarich

Digitized by Google

rich, ex Stenivecz, quæ tribus menſibus, & Anna Katulich ex Berdovecz, quæ trium hebdomadarum ſpacio, totalem in oculis eclypſim circumferebant: nihil erat his perſonis amplius in votis, quam videre; ſuſpirabant perpetuo, quis nobis noſtras, heu dolor, extinctas oculorum reaccendet faces? quis cæcis hiſce orbibus, gemina communicabit ſydera? in te ô Virgo potentiſſima, noſtræ ſtat ſumma fiduciæ, quæſo miſericordes tuos oculos ad nos converte. Tu mulier ſole amicta es, ah illumina nos, niſi enim tu ipſa has tenebras, plus quam cymmerias expuleris, actum eſt de oculis noſtris, à nullo Hippocrate reſtituendis. Ibimus, ibimus in ſacrarium mirabilium tuorum, quæ Remetæ à te patrari dicuntur, nec ingratæ erimus tanto beneficio, tantummodo miſerere. Placuit Divæ hæc pia de ſe exiſtimatio, tamque ſupplex pietatis obſequium non voluiſſe irritum, fortunato oſtendit eventu; quæque enim pro ſuo voto exaudita, non multo poſt, optatum lucis recepit beneficium. Quæro jam ô mi Lector cum S. Bonavent. c.3. in ſpec. Mar. *Quid nos miſeri, nos obtenebrati, quid in nocte huius ſæculi faceremus, ſi tam lucidam lucernam ſi tam luminoſam columnam non haberemus. Vides ergo quomodo Maria illuminatrix eſt, per lucidiſſimam miſericordiam ſuam.*

§. 108. *Pedes ſtabiliti.*

1668. INter membra humani corporis pes maxime ſervilis, totum corpus ſua mole ſuſtentat, at ſi & ipſe morbo qualicunque ſe obnoxium advertit, portari vult, non portare. Retulit nobis Caſparus Bogathi ex Poſavecz, ſe integro ſexennio pedes in lecto ſuſtinuiſſe tam refractarios, qui excuſſo ſervitutis jugo, nec gremium facere voluerunt. Alter Adoleſcens Georgius Klemachitz ex Mirinia, medullarum dolore, biennio toto in pedibus ſe vexatum aſſeruit. Urſula demum Chryſanizka Sztubicenſis, pedem ait ſe habuiſſe ſtationis tam impatientem, ut non niſi continuas ferias, vel in lecto, vel ſella repoſceret. Multa in caſſum quæſierunt remedia, ſed omnibus tandem valere juſſis, quid cœli valeant, periclitati ſunt. Remetenſi ergo Patronæ univerſum ſanitatis commendant negotium, ſi votis arrideat, præter pedes, etiam brachia, caput, præcordia, corpus denique totum, cum anima, ſibi in famulatum devoturas. Et quidem ea humilitas miſeris ceſſit emolumento, quando ſubſecuto ſtatim tempore, membra illa, deſertis culcitris, ad notum ſibi rediere officium. *O vere magna Maria miſericordia* ait D. Bern. in Spec. B. V. lect. 10. *in omnes qui invocant illam,*

Digitized by Google

magna quidem fuit in miſeros miſericordia MARIÆ, *adhuc exulantis in mundo, ſed multo major erga miſeros, eſt miſericordia ejus, jam regnantis in cœlo.*

§. 109. *Mortuus reviviſcit.*



1668. NArrarunt nobis plenum admiratione caſum, Gregorius Soſtarich, & Michael Verſial, alijque fide digniores; Puerum quinquennem Jacobum appellatum, dicti Michaelis Verſial, & Margaritæ conjugis, filium, graviſſimo correptum languore, à duobus jam diebus, totidemque noctibus in mortuorum ſocietatem, conjecturis omnino evidentibus tranſijſſe: Alij ſepeliendum ſuadebant; & vero ridebant etiam ſimplex utriuſque Conjugis ingenium, pro vita filio reſtituenda, tam ſollicitum. Hi enim interea genibus ſubnixi, preces peregrinationis voto armatas Remetam tranſmittunt. Virginem pro facultatibus ſuis ſexcentis promiſſis onerant, O Maria per tuas gratias, quarum anathemata, in ſacra illa æde, ſæpius cum ſtupore aſpeximus, te obteſtamur, miſerere, & quæ olim toti mundo protuliſti vitam, idipſum in filio noſtro experire. Tua voluntas eſt potentia, velis ergo ô pia Miſericordiæ Mater, nobis non tam filium, quam æternum

tibi

tibi ſuſcitare mancipium Audijt hoc Virgo, & en die à morte tertia Jacobi corpus, jam frigidum & durum, immiſſo iterum cœlitus vitæ ſpiraculo, calore ſuo emolleſcit, homo redivivus apparet, ſtupore, & fletu domum implet, ipſe demum Parentibus comitatus, hoc ipſo anno 10. Maij Remetam proficiſcitur, Soſpitatrici ſuæ, pie adgeniculatus, totam inde rerum ſeriem Patribus enarrat, non ſine ſupracitatorum, aliorumque teſtimonio. Recte ô ſuperbenedicta ex ore infantium hic perfeciſti laudem tuam; *Vera enim vita* ut ait Epiphanius, l. 3. cont. Hæreſ. c. 3. *qua Deo vivimus per te nobis reſtituitur, vetus enim Eva fatus ſuos priusquam pareret extinxit, Noverca potius, quam Mater appellanda, ſed Tu nova Eva, non morientium, ſed reviviſcentium Mater extitiſti.*

§. 110. *Vita periclitantes reſtituuntur.*

1668. PUlcherime Rich. à S. Laur. l. 7. de laud. B. V. *ſicut ſol ex quo mane ſurrexit, tota die ad oſtium, vel feneſtram præſtolatur, paratus intrare, ſi ei aperiatur, ſimiliter Maria, ex quo aſcendit in cælum velut ſol, omni ſe invocanti præſto eſt ante fores, ut videatur dicere, ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit, intrabo ad illum.* Concluſerant graviſſimæ infirmitates novem integris ſeptimanis Stephanum Szebich Stubicenſem, nec non Georgium Prokupecz ex Berdovecz, ac Joannem Ruſankovich ex Pokuvecz oriundum, jamque deficiente ſpiritu, ſenſibus, & loquela, ad obſcurum mortis carcerem ſe invitos abripi ſenſerè, ſed ut erant libertatis, vitæque longioris avidi, Solem hunc Marianum, in Eremo Zagrabienſi, immenſis gratiarum radiis corruſcantem, intra fores ſuas immiſerunt, & mox caligo omnis, ac funeſtæ mortis tenebræ diſſipatæ ſunt, ſic ut hodiedum, benignitate Solis illius, gratioſa vitæ hujus luce perfruantur.

§. 111. *Pes Convaleſcit.*

1669. DIfficile dictu eſt, quam inclementer per medium annum habuerit Magdalenam Vinczek, pedum alter, ad omnem ambulationis, ſtationisque functionem indocilis, & obſtinatus, proximum erat contumax membrum dignis caſtigare pœnis, & acutis Chyrurgorum ſubiicere novaculis, jam enim & oſſa reſoluta compage exciderant, & carnes mephytim ſpirantes, copioſos vermes hoſpitio exceperant, nullum jam ungentum, emplaſtrum nullum, purulento potuit tuberi mederi, videnſq; Magdalena gra-

Digitized by Google

tis ſpem ſuam curandi pedis, ſe poſuiſſe in humanis, poſt erogatos in Pharmacopæum argenteos nummos, aurea aſſumpſit verba, totamque ſpei anchoram projecit in Remetenſe gratiarum mare, Mariam: nec in vanum, nam dicto Divæ Sacramento, viſi ſunt vermes, adamata diu foramina relinquere, oſſa redintegrari, pes denique obducta pelle, ſuis denuò ſervire functionibus. Quis crederet Mariam tam promptam ad obſequium pauperis puellæ. Hic mihi in mentem venit Alexander ſeverus Imp. de quo Lampridius ſic ait. *Moderationis tanta fuit, ut nemo unquam, ab ejus latere ſubmoveretur, ita ſe omnibus blandum, affabilemque præſtabat, ut amicos non ſolum primi, & ſecundi loci, ſed etiam inferioris, ægrotantes inviſeret.* Plane idem facit Deipara ut ait Bern. Serm. de Verb. Apoc. *Maria omnibus omnia facta eſt, ſapientibus & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe facit, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, ut nemo ſit qui ſe abſcondat à calore ejus.*

§. 112. *Periclitans in partu enititur feliciter.*

1662. HEcatem triformem in partu fœminarum, ſi ter invocetur, fore adjutricem, Seneca teſtatur l. 3. Carm. ita enim canit

Montium Cuſtos, nemorumque Virgo,
Quæ laborantes utero puellas,
Ter vocata audis, adimiſque letho
Diva triformis.

Meliorem ſe oſtendit Hecatem puerperio laborantibus Virgo Remetenſis, hæc enim ſemel tantum invocata ab Helena Gregoreka, momento adfuit, fœtumque naturæ repagulis in utero Matris graviſsime irretitum, momento ſolvit. Quandoque etiam, priuſquam vel ſemel invocetur, jam præſentaneo ſuis adeſt auxilio, ut Mantuanus canit

Ante preces etiam, nec dum obſecrata, favores
donat, & ad miſeros maternas explicat ulnas.

Digitized by Google

§. 113. *Variæ infirmitates abactæ.*

1669. AD præſentem annum, varij, varias Soſpitatrici Remetenſi retulerunt gratias, Margarita enim Pauliniczka, Berdovicenſis, manuum, pedumque uſu, aliquanto tempore ſe privatam conqueſta eſt. Georgius Kovachych ex Puſche, graviſsimos, eoſque internos oſsium dolores in pede, per duas hebdamadas ſe ſuſtinuiſſe aſſeruit. Helena Pauliniczka ex Szteniovecz, quinquennio duriſsimos matricis cruciatus, ſe perpeſſam narravit. Margarita Jackſich, ex Berdovecz, bimeſtri integro punctúris irremediabilibus ſe vexatam confeſſa eſt. Puella item, Dorotheæ Laurechicz filia, ad alterum oculum cæca, per aliquot ſeptimanas nihil omnino ſe vidiſſe; jurejurando affirmavit. Qui tamen omnes concepto peregrinationis voto, ad Remetenſem gratiarum ſedem, pro ſua devotione benigne exauditi ſunt. Quæris quomodo tam multis uno fere eodemque tempore opitulari quiverit Deipara? Reſpondebit tibi noſter P. Joannes Poſonienſis in pervetuſtis ſuis manuſcriptis. *Quia plena eſt oculis Maria, & utique multo plenior, quam quodlibet illorum quatuor animalium, de quibus ſcriptum eſt, quod in circuitu, & intus plena ſint oculis, his multorum ſimul intuetur miſerias, providetq́ bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.*

§. 114. *Mortua Puella reviviſcit.*

1669. DEcantata res eſt, & jam ipſa ſui auctoritate, omnem videtur excedere veritatem, tritum illud, *Contra vim mortis, non eſt medicamen in hortis.* Ego tamen hoc univerſaliter negaverim, ſi quæ Magnalia in Sztubicenſi territorio, ad hunc annum digito omnipotentiæ Divinæ perpetrata ſunt, altiori cogitatu rememoro. Filiolam habuit Michael Klukaricz, & Barbara ejus Conjux, biennio non majorem, Barbaram ſimiliter appellatam, hæc ſine arbitris egreſſa, in proximam domui ſuæ lacunam, cænoſam ſimul & profundam, infantili temeritate prolabitur, quæ integro bihorio, per omnes vicinitatis angulos ſollicite quæſita, tandem à parentibus proditione veſtigiorum, corpuſculo omni ex parte immerſo, mortua reperitur, & extrahitur. Aderant plures luctuoſæ hujus Cataſtrophe ſpectatores, ſed & cælum in præſentem ſcenam, ſuos obliquavit oculos; Virgo enim Deipara, ab utroque Conjuge verſus ædem Remetenſem, centum votis, mille ſuſpiriis ſollicitata, funeſtum initium, læto terminavit eventu; quando attonitis univerſis,

Digitized by Google

verſis, puellam ipſa jam morte pallidiorem, mæſtis genitoribus ſubito redivivam reſtituit, qui poſtea 2. Julij, præſentis anni, eandem ſecum Remetam deducentes, non ſine pia lacrymarum conteſtatione, Patres loci ſacri, de tanto certiores reddiderè prodigio. Ne ergo poſthac ſemper credideris, con-



tra vim mortis non eſſe medicamen in hortis; Maria enim *hortus concluſus* eſt Cant. 4. creſcit in eo ſalubre medicamen, contra venenatas mortis ſagittas; *Eſt* ſcilicet *Maria* Teſte D. Auguſt. *in paradiſo voluptatis lignum vitæ, cujus folijs ſanantur infirmi, cujus odore vivificantur mortui, cujus umbra refrigerantur miſeri*

§. 115. *Duæ Perſonæ moribundæ redeunt.*

1669. Nicocles dicebat, Medicos felices eſſe, quod eorum ſucceſſus ſol intueretur, errores autem tellus operiret: Unde Stratonicus, imperito cuidam Galeniſtæ, *laudo* ait *experientiam tuam, quia non ſinis infirmos computreſcere, ſed illos ſtatim è vita liberas.* Peccant ſæpe Medici, & quinti præcepti ſeſe reos efficiunt, ſed hoc eorum duntaxat eſt privilegium; unde Philemon apud Plutarchum, *Medico* ait *occidiſſe impune eſt.* Vix non contigit Catharinam Pallian, & Georgium Teukovecz, extremæ jam lineæ admotos, & uſura rationis privatos, Medicorum incuria, è viventium

Digitized by Google

expun-

expungi tabulis, cum ecce è pharmacopæo Remetenſi, Cœleſtis Æſculapia adeſt, & pie ſe invocantibus, præſentaneo medetur mortis periculo. Quam bene ſuperius dictum eſt ex Cæſario l. 7. c. 25. *Medicina B. V. nihil eſt efficacius, nihil ſalubrius, nec mirum, ipſa Medicum genuit, ipſa Medicinam humani generis produxit, Salvatorem mundi.*

§. 115. *Quinque annis obcæcata viſum recipit.*

1670. FÆmina hæc eſt Sztubicenſis, Dorothea nomine, quæ hoc ipſo anno compluribus ſecum in majoris fidei meritum aſſumptis teſtibus, in Eccleſia Remetenſi comparuit, faſſaque eſt toto quinquennio lumen oculorum præ dolorum vehementia debilitatum, quouſq; loci hujus ſanctitate, & fama Magnalium altius conſiderata, votum edidiſſet, tantumque miraculum Patribus ſacri illius loci, plenis lætitia vocibus enarravit. Talis eſt Maria quæ non tantum facit, ut in cœlis oriatur lumen indeficiens, verum etiam ambulantibus in tenebris, & regione umbræ mortis, lux oritur: quid mirum, ipſa enim induta eſt lumine, velut veſtimento, & lucem illam in ulnis geſtat, quam qui ſequitur, non ambulat in tenebris, lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quam cæcitas non obnubilat, quam caligo non habetat, quam nulla diminuit umbra, quam tenebræ non comprehenderunt: lucem quæ ſecrevit diem à nocte, quæ tenebras deſuper faciem abyſſi diſpulit, & effugavit; quæ ipſa lucem inhabitat inacceſſibilem, quæ habitantibus in tenebris & regione umbræ mortis, cum ſplendore exorta eſt; hanc ipſam lucem beatiſſimam, ego, qui hæc ſcripſi, pro mercede laboris mei, cum cæco illo Mendico imploro, *Domine ut videam*, illumina faciem tuam ſuper ſervuum tuum; neque ſinas me ligatis manibus, & pedibus, projici in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & ſtridor dentium; vel cum impijs illis perdi, qui laſſati ſunt in via iniquitatis, ambularunt vias difficiles, & lumen veritatis, ac Sol intelligentiæ, non illuxit eis. Perorabit pro me ſpero apud ſolem juſtitiæ, Virgo, illa pulchra, ut luna, cujus honori, hoc qualecunque opuſculum à me elucubratum eſt, ipſa enim mercedis dandæ non obliviſcitur, quæ ait Eccli. 24. *qui elucidant me vitam æternam habebunt.*

Digitized by Google

CLAUDO LIBELLUM.

SUccenſère quis poſſet ſcriptioni noſtræ, & dubitare de rei veritate, cum quæ hic adſtruuntur, majori ex parte rudiſſimæ ſaltem plebis teſtimonio, ſtabiliantur. Verum eſt hoc, ut plurimum enim pauperes ſunt, ſortisque tenuioris homines, quos præſens hiſtoria, de acceptis à Virgine Remetenſi gratijs, commemorat, divitum, ac eminentiorum, toto hoc libello vix aliquos in exemplum admiſſos reperies: Sed quare hoc? num ſoli pauperes, & agreſtes, excluſis potentioribus, intra ſacrarium exauditionis Marianæ admittendi; nunquid Deo ejuſque Matri Sanctiſſimæ, cura eſt de omnibus? eſt quidem, ſed major pauperum: *Deſiderium enim pauperum exaudit Dominus, ſemperq́; oculi ejus in pauperum reſpiciunt*, dicente Deo Iſaiæ c. 66. *ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, compunctum corde, & trementem ſermones meos.* Et quidem, quod citius pauperes præ divitibus exaudiantur, eſt ideo, quia oratio eorum eſt ſimplex, fide, ſpe, & devotione plena, ſi quandoque audire eoſdem contingat; in hoc illove loco, tali, ac tali tempore, Deum interceſſione Sanctiſſimæ Matris ſuæ, mira circa perſonas quaſdam morbo obnoxias perpetraſſe, illico credunt, nec pro fabulis reputant, ſperantque ſimul, id ſibi quoque eventurum, ſi in ægritudine conſtituti Deum, ejuſque Matrem interpellent. Hac ſimplicitate, fide, fiduciaque deſtituti ſunt divites, quorum hoc ſolenniſſimum eſt, id tantum credere, quod vident, cavillari Concionatores eorumque hiſtorias, libellos de miraculis Marianis, inter apocrypha, & Æſopi commenta recenſere, non verentur. Quod ſi eos infirmari contingat, valetudinem illi ſuam non in precibus, ſed Archiatrorum, ſeu Medicorum præſcriptionibus, Syrupis, electuarijs, Alexipharmacis, amuletis, catapotijs, paſtillis, gargariſmis, ſuffimentis, conſtituunt, nihil illi, quod è Cellenſi, Lauretana, Claramontana gratiarum Apothecâ, pro remedio ægritudinis ſuæ accipiant, ſe opus habere exiſtimant. At verò pauperes, omni ope humana deſtituti, utpote quibus nihil medicorum præſcribit ars, nihil Pharmacopæorum laborum induſtria, ad Deum ejuſque Matrem coguntur levare oculos ſuos, videnturque dicere *cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum reſidui habemus, ut oculos noſtros convertamus ad Te* ô Maria, quæ ſalus infirmorum es, & cujus *Nomen Oleum effuſum*, morbis

morbis omnibus eſt ſaluberrimum. *Venite* ergo pauperes, *qui nullum habetis argentum, properate, emite abſque argento*: efficacior enim eſt medicina, quam vobis dat Maria precario, ab illa, quam Galenus, aut Hyppocras, divitibus mercario obtrudunt. Non timete repulſam, deſiderium enim veſtrum exaudiet Maria, vos eſtis inter primæ admiſſionis familiares, quorum conditio, adeo ſibi, ejuſque Filio benedicto placuit, ut præterquam quod olim ipſe pauper, in terris viſus ſit, hodie etiam in ſpecie, & forma mendici, nunquam vero divitis, frequentiſſime ſe viſendam exhibeat, quod negare nemo poteſt, niſi qui hiſtoriam de S. Martino, Auguſtino, Gregorio Magno, Ethbyno Eremita, alijsque ſexcentis, ſe ignarum profiteatur. Sed ſcio etiam quoſdam ex pauperibus, ea diabolicæ ſuperſtitionis fraude dementatos, qui cum ſubſidio emendarum medicinarum careant, è Cœlo tamen ſuppetias aquirendæ ſanitatis flagitare recuſant, ſed potius (ô impietas) Plutonis opem implorant, Magias exercent, à ſuperſtitionibus ſalutem corporis, ſed animæ perniciem auſpicantur, tales ſunt qui offerunt ſanctis ceram, vel aliud quidpiam, immiſcentes capillos hominis, vel pilos animalis infirmi: qui mergunt imagines in aquà, pro pluvia obtinenda, qui faciunt quaſdam ligaturas, nec lac vaccis ſubtrahatur: qui pro quibuſdam capitis doloribus, ad porcorum lintrem collum applicant; dicentes *in nomine Patris, & Filij, &c.* Qui ſtramen ſecuri dividunt, ut ſanentur manuum & digitorum tumores. Hæc omnia ſuperſtitioſa ſunt, & prohibita ſanitatis remedia, quæ non niſi à natura, vel Deo, ejus Matre, alijſque ſanctis quærenda ſunt.

Alterum quod ſuſpectum facere videtur, veritatem hiſtoriarum, præſentium, eſt, quia multi ibidem leguntur à mortis ſomno reſuſcitati, quis ſcit, ſi mortui fuerunt? & non extaſi potius quadam, & violentia morbi ſic abrepti, ut populus ille ſimplex non ſecus judicaverit, ac infans, qui baculum alias rectum, in aqua tamen illuſſione ſpecierum fractum, exiſtimat. Non diffiteor fieri poſſe, ut plebs decipiatur, illius tamen teſtimonio ſtandum eſt, cum nulla utilitate ad falſe loquendum attrahatur: mentitur ſæpe Ruſticus, ſed ſuo ſemper commodo, hoc ubi non eſt, falli citius poteſt, quàm fallere: Neque tamen idcirco credendi obligationem cuiquam præſenti ſcriptione impono, non enim Evangelia ſpiritus Sancti irrefragabili ore dicta, ſed exempla hominum fallibilium teſtimonio fulta, pando. Cæterum fuiſſe quoſdam per ſummum miraculum interventu Virginis Remetenſis vitæ, ac auræ reſtitutos, quæſo nemo dubitet, nam ſi primum exemplum quis intuea-

tur, clare deprehendet, fieri nequaquam poſſe, ut tribus horis, ſine manifeſta vitæ jacturâ, homo aquis inmerſus deliteſcat; uti Ancilla quædam ex Silinich, Exemplo. 1. Sicut & hoc impoſſibile naturaliter non diffiteberis, quod ad Annum 1667. contigit, puellam biennem, duabus horis in lacunam toto fere corpore immerſam, vivere ultra potuiſſe, & tamen poſtea vixit, certe non niſi beneficio Deiparæ Remetenſis à parentibus, piè invocatæ. Neque hos, & ſimiles effectus magiæ partus interpreteris, eſto enim Theologi, diabolo multa ſupernaturalia quo admodum tribuant, ut maria per orbem diffundere, transferre montes, exercitum formare ex aere, obſcurare ſolem, ciere tempeſtates, & ſexcenta hujusmodi, quædam tamen ſunt ex eodem genere ſupernaturalium, quæ ſolam Dei Omnipotentiam concernant, ut mortuos ſuſcitare, &c. Quamvis autem operà Cacodæmonum perſæpe Magi vitam defunctis reddidiſſe dicantur, illuſionem tamen, & non niſi faſcinationem oculorum fuiſſe verò verius conſtat, ut patet ex hiſtoria de Simone Mago, qui Adoleſcentem defunctum, ſuis incantationibus, ad motum quendam, & ſternutationem, non tamen ad alias vitæ operationes commovere valuit, ut author eſt Abdias Babylonius in vita S. Petri. Talis etiam fuit Magus nomine Sedecias, Hebræo ſanguine natus, de quo Abbas Trithem. in Chron. Hirſaug. temporibus Caroli Calvi Imperatoris, qui poſtquam hominibus, in præſentia multorum caput, manus, pedesque abſecuiſſet, cruorem etiam profluentem pelui excepiſſet, eadem deinde membra mortuo corporis trunco, iterum applicando, vitam, quam antea abſtulerat, reddidiſſe credebatur, præterquam quod paulo ante, ingens fœni plauſtrum, cum curru, equis, & auriga ſpectantibus omnibus deglutierit, quæ poſtea ſalva omnia, ſine ullo læſionis veſtigio, denuo per ſeceſſum reproduxit, hæc tamen non miracula, ſed oculorum illuſiones (uti hodiedum circumforanei Agyrtæ, & Hiſtriones aſſolent) fuiſſe credas. De alio Mago Nomine Zito, refert Dubravius Epiſcopus Olomucenſis, in hiſtoria Bohemica, qui Venceslao Cæſare, & Bohemorum Rege, cognomine pigro, (cujus erat familiariſſimus) nuptias Regias Pragæ celebrante, & ſpectante, alium Magum nuptijs adſtantem, & geſticulantem pleno ore excepit, dentibus comminuit, tandem mirantibus, & nauſeantibus cunctis deglutivit, calceos vero ejus, quod multo luto fuiſſent deformes, quodammodo nauſeabundus expuit, quem aliquamdiu ſtomacho ſuo detentum, tandem via communi, vità quaſi reſtituta, à ſe rejecit. Hunc eundem Zitonem narrat Dubravius, ab humani generis hoſte, præſente populo, cum anima, & corpore

abre-

Digitized by Google

abreptum. Sed ut dixi hæ, & ſimiles reſuſcitationes, geſticulatoriæ ſunt, & illuſoriæ, Dæmone ſpecies rerum immutante, aut alia ſubſtituente objecta, ut Philoſophi loquuntur cum Theologis. Sileant ergo Neſtoriani Hæretici, & Centuriatores Magdeburgenſes, & tantum tamque prodigioſum reſuſcitationis opus, uni Deitatis ſimiæ, orbis Ludificatori Dæmoni, ejuſque diſcipulis Magis, & Sagis, neutiquam adſcribere præſumant.

Tandem præſenti tractatu nonnunquam refero Exempla, de ſpectris, & terriculamentis nocturnis, invocatione Nominis Mariæ Remetenſis propulſatis. Acatholici, qui quod vità ſua terroris nihil experti ſunt, hujuſmodi narrata inter chymeras, & entia rationis numerant, eorum Achilles ſeu argumenti vis, quo terriculamenta omnia negant, ſic ſe habet: Qui dormit neminem inquietare poteſt, ſed defuncti dicuntur dormire, ergo neminem inquietant, ergo nulla ſunt terriculamenta. Item, defunctorum animæ, ſi ſalvæ ſint; requieſcunt in pace, juxta illud Sapientiæ 3. *illi autem ſunt in pace*, ergo neminem terrent; ſi damnatæ ſint, etiam non terrent, quia carceribus inferni jam obſeptæ ſunt: Centuriatores Magdeburgenſes, & Lauatherus probant mortuos non poſſe apparere hominibus ex Job. cap. 7. n. 15. *qui deſcendit ad inferos non amplius aſcendit.* Item ex Pſal. 77. *homo eſt ſpiritus vadens, & non rediens* Lucæ 16. Dicit Abraham Epuloni, *chaos magnum interiacere, & à mortuis neminem tranſmitti, ut vivis renunciet, quæ ibi aguntur.* Sed ad hæc ludicra quid opponendum? indigniora enim ſunt, quam ut reſponſum mereantur: dicuntur defuncti dormire, quia corpora eorum ſpeciem dormientis repræſentant, & in ſarcophago velut lectulo cubant. Dormire item dicuntur quod nihil operentur, & quod adveniente die judicij, à morte, velut ſomno quodam reſuſcitandi ſint. Animæ tamen eorum non dicuntur dormire, licet Juſtorum animæ in pace, ſed quod idem eſt, ac in æterna gloria ſepultæ perhibeantur. Dicuntur item mortui non redire amplius, hoc eſt ad vitam naturaliter, redit tamen ſæpe eorum ſpiritus, & apparet hominibus, ut anima Moyſis, Samuelis, Jeremiæ, & Oniæ: Quòd verò Abraham dixerit, neminem ex inferis ad nos tranſmitti poſſe, intelligitur ſine Dei voluntate. Narrat Venceslaus Hageccus in in Chron. Bohem. p. 1. parag. 411. fuiſſe in Bohemia, ad annum Domini 1337. uno ab oppido Cadan milliari, ſepultum paſtorem, qui ſingulis noctibus è ſepulchro ſurgens, pagos vicinos obambulando, obvios allocutus eſt, nec paucos ex illis trucidavit, quemque nomine ſuo compellaſſet proprio, hic ſeu terrore, ſeu fato inevitabili, intra octiduum cogebatur,

Digitized by Google

mortis ſe fieri mancipium. Magnum hoc videbatur malum, idcirco à carnifice paſtor ille olim defunctus, ſed tunc quaſi redivivus, comprehenditur, transfoſſoque ejus latere, unde copioſus, velut ex jugulato tauro, manavit ſanguis, corpus ejus velut victimam inferni, rogo injecit. Narrat etiam Martinus Zeiller, alias Hæreticus, Theat. Trag. hiſt. 1. de Cive quodam honeſto, oppidi Juancicenſis in Moravia (diſtat hic locus, à Monaſterio noſtro Crumlovienſi, uno tantum milliari, eſtque ſub ditione Principum à Liechtenſtein, Fundatorum noſtrorum) hic in Parochialis Eccleſiæ Cæmeterio ſepultus, multis noctibus tumulo ſuo, non ſine terrore vigilum, qui rem omnem è turri Eccleſiæ obſervarant, prodire viſus eſt, chlamyde mortuali, quà indutus erat, ſemper ad crepidinem tumuli relicta, ſicque nudus homines dormientes invadendo, terrendo, cedendo imò etiam occidendo, famoſus fuit, omni viciniæ. Accidit una noctium, ut ſtrage perpetrata, denuo ad locum ſepulturæ rediens, chlamydem, quam ibidem reliquerat, ſed vigiles interea abſtuliſſent, non reperiſſet, hos ille alta voce compellans, mortem minatus eſt, niſi ſublatam ſibi veſtem è turris pinnaculo dejicerent, quod ut ab illis fieret, facile timor & recentia interfectorum exempla perſuaſerunt: Extractus tandem conſentiente Magiſtratu è ſepulchro, manibus Carnificis, dixiſſe fertur, optime factum exhumatione ſui corporis, alioquin, cum & uxorem olim thalami, nunc vero tumuli ſociam acceperit, medietatem civium Ivanicenſium à ſe utroque necandam fuiſſe, quo dicto Carnifex peplum fæmineum, quod è capite Uxoris ſecum conſepultæ, deglutierat, è faucibus defuncti extraxit, gladioque corpus minutim diſtrahendo, oppidanos poſt hac à terrore nocturno liberavit. Diaboli hoc ſtratagema fuit, quem cadaver illius civis proculdubio æternum damnati, ſubintraſſe probabile eſt. En teſtimonium ab ipſo Hæretico. De ſpectris reperies paſſim apud Auctores. Glaber Rudolphus Monachus & Hiſtoricus Francofurdenſis l. 5. hiſt. Franc. ſcribit lecto ſuo quadam nocte adſtitiſſe dœmonem, quo nihil maſculina ſpecie poſſet eſſe deterius, ſiccum illi erat collum, lurida, & nimia macie confecta facies, oculi ſuper carbonem nigriores, frons corrugata, naſus ſimus, labia turgida, mentum inflexum, barba caprina, aures ablongæ, ſinciput acutum, tergum gibbo deformatum, neſcio quas Rudolphus ille, intra pectoris arcana cogitationes alebat, hic dœmon ſtragulum dejicere, lectum concutere, & iterata voce irarum plenus dicere, abiret hinc, non eſſe ſibi ultro manendum, ejus voci Rudolphus obtemperans, protinus ſe à larvati maſculi facie pro-

ripuit

Digitized by Google

ripuit. Cæterum ſolere Dœmones, varijs Vertumni, & Camalæontis exuvijs ſeſe reddere ſpectabiles, ſæpius compertum eſt, præterquam enim quod dicente Apoſtolo, quandoque ſe transfiguret in Angelum lucis, viſus eſt etiam, in hirci, fellis, equi, veſpertilionis, muſtelæ, galli, lupi, ſciuri forma. Cornelium Agrippam cum comitatus eſt, canem induit: D. Romualdo, ut miluus; Hilarioni ut vulpes; D. Dunſtano, ut canis; S. Margaritæ ut Draco; B. Julianæ ut Angelus; D. Martino ut Chriſtus; Abbati Rogerio, ut Ruſticus; Macario ut Meſſor; alia vice ut Pharmacopæus; Appeſſi ut Mulier laſciva; Antonio ut Porcus, ſe ſpectandum præbuit.

Formas mille gerit, veſtitur mille figuris.

Hæc idcirco de terriculamentis exempla hic adducere volui, ut ſi in tractatu hoc ſimile quid offendiſti, non putes me fabulas ſcribere, ſed hiſtorias.

Ultimum quod de monere volui eſt, ne tibi perſuadeas ab anno primum 1600. Remetenſem Iconem miraculis cæpiſſe clareſcere, contigit hoc jam ab immemorabili tempore, docentibus id ipſum ſexcentis acceptorum beneficiorum teſtimonijs, tum ſcriptis tum pictis, ſed quia hæc omnia una cum loco Sacro incendio abſumpta ſunt, ea tantum conſignare agreſſi ſumus, quæ flammas illas conſecuta ſunt; quamvis & in ijs ſuo ordine diſponendis, anni complures tranſiliendi ſint, quibus negligentia illorum, quorum intererat nihil annotatum eſt. Et hæc ſatis. Nunc pro

DeI sVæqVæ GenItrICIs ALMæ honore perpetVo sIt

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google